I. N. J.

SAMUELIS POMARII, S.S. THEOL. D. ILLUSTRIS COLLEGII EPPERIESSINENSIS INCLUTORUM STATUUM AUGUSTANO-EVANGELICORUM SUPER. HUNGAR. DIRECTORIS SUPREMI, SS. THEOL. ET LL. ORIENTALIUM IBIDEM P.P.

TRACTATUS DE CONSENSU ET DISSENSU CORPORUM NATURALIUM:

In Celeberrimâ Universitate VVittebergensi

ab Eodem qvondam conſcriptus;

Hactenus diu multumq; deſideratus;

Nunc ob Exemplarium omnium defectum, & materiei utilitatem denuò Bono publico exhibitus.

EDITIO ALTERA.

WITTEBERGÆ,

Sumptibus ANDREÆ HARTMANNI, Bibliopolæ,

Typis JOHANNIS Hakens/

[illegible]

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PRæposteram Scholasticorum & Jesuitarum, tùm Veterum, tùm Recentiorum, in illustrandâ Commentariis Scientiâ Naturali methodum, non tantùm præter alios fulgidissima illa Nostræ Academiæ Lumina, B. Dn. D. SCHARFIUS, & B. Dn. SPERLINGIUS ex merito vindice confoderunt stilo: Ille quidem *in Physicâ recognitâ, Jesuitis Philosophis, vanis Speculatoribus* (ut titulus habet) *opposita*, Præfat. ad Lectorem; Hic verò & passim alibi, & inprimis *Exercitat. Phys. posthumis*, Exercit. VIII. p. 33. seqq. sed & tot libris in lucem editis non incelebris *P. CASPARUS SCHOTTUS*, e Societ. Jesu, Veritate lene tormentum ingenio admovente, haud obscuris indiciis fastidit ac detestatur *Utinam* (inquit in Physica Curiosa, Præloqv. ad Lector.) *qui hodie Philosophorum nomine gloriantur, spinosum illum ac sterilem philosophandi morem, cui domi & in Scholis impallescunt, ad amœniorem hunc ac longè utiliorem traducerent; nec generosam juventutem ad nescio quas* ERUDITAS INEPTIAS *coarctarent.* Nec injuriâ. Excutiantur enim immensâ turgescentes mole in Stagiritam lucubrationes, perlustrentur stridentia Cursuum, ut vocant, Philosophicorum plaustra, plurima perstringent aciem vanissimarum quæstiuncularum senticeta de Privatione, de Materiâ primâ, de Orbibus realibus, de Intelligentiis motricibus, & sexcentis hujus furfuris nugis in fabulosam Pygmæorum internecinum cum gruibus bellum gerentium regionem ab accuratioribus dudum relegatis. Ast ubi è profundo Democriti puteo eruenda veritas: cùm admirandorum effectuum operumque, quæ nunquam non pleno admetitur horreo Alma parens Natura, indagandæ Caussæ: recludendus Telluris sinus: acer in metallorum, lapidum, gemmarum thesauros immittendus oculus: remige mentis alâ in amplissimum meteororum theatrum evolandum: ceteræque, quibus hoc universum radiat, dotes ad Lydium revocandæ lapidem; illicò rixosas illas chartas aut omninò Harpocratem agere,

aut

aut summo delibare negotium digito cui est obscurum? Alio post Nostri Seculi Æsculapium DN. D. SENNERTUM, & Incomparabilem Physicæ Restauratorem (invidiâ rumpantur ut ilia Zoilo) DN. SPERLINGIUM, τῆς νῦν ἐν ἁγίοις, incedebat tramite, cùm in Almâ Nostrâ Leucoreâ, non neglectis etiam aliis Scientiis, Naturali excolendæ haud proletariam impenderet operam, tùm Phil. M. postea quoq; Colleg. Philos. Adjunctus, hodie verò Excellentissimus in HUNGARIA SS. TH. P.P. VIR Maximè Reverendus & Amplissimus DN. D. POMARIUS. Ut enim silentii nube involvam non paucas in hanc rem publici juris ab Eodem factas Disputationes, Collegium item Synopticum in Partem Generalem Physicæ; scripta plus vice simplici postulante Eruditorum orexi apud Nos prælum experta: certè sicco prætereundum pede non est BENEVOLE LECTOR, ipsos jam viginti præterfluxisse annos, quando præsentem hunc, quem vides, Tractatum ingenioso studio & accuratâ industriâ consignavit literis, ac more recepto privatæ Ordinarii Prof. censuræ Doctiorumque Examini submisit. Album merebatur calculum, qui fructuosâ lectione & præclarè afficeret animos, & Naturam nonnisi ex Natura explicaret, postremò famosa illa duo Principia, LITEM ET AMICITIAM, ex quibus cuncta esse conflata Empedocles olim haud vanè augurabatur, feliciter & solidè declararet. Cùm verò jamdudum insignis hicce Labor in Bibliopoliis investigantium famem exsatiare desierit, multorum votis ut satisfieret, eâdem, quâ primitus hausit lucem, facie denuò nunc dias in auras prodit, nullâ vel auctione in ampliorem diductus, vel detractione in angustiorem coarctatus formam, quòd in alieno scripto vel apicem temerariâ immutare manu nefas, & Excell. DN. AUTOREM, tot locorum intervallis sejunctum, graviores curæ manum admovere ultimam vix ac ne vix qvidem nunc paterentur. Accipe igitur B.L. quo antea prosecutus es, renascentem jam Tractatum favore; & vel in salutare Studiorum Tuorum incrementum, vel in relaxationem animi à severioribus hoc velut ludentis Naturæ spectaculo utere fruere; deniq; Excellentissimum DN. AUTOREM Sacrâ in palæstrâ adversus professos Orthodoxias hostes nunc decertantem, precibus Tuis adjuvare nullus desiste.

VALE.

IN NOMINE DOMINI JESU.

DISP. I. PRÆSIDE JOH. SPERLINGIO, P. P.

RESPOND. M. SAMUELE POMARIO, Silesio.

Non tumultuarium ac incogitatum opus est spaciosa & speciosa mundi machina. Constantissimâ serie & æternâ lege concatenata universa sunt, quæcunq; sunt, & quid nisi unam sapientissimam Mentem, architectatricem sui & gubernatricem, emissis clamitant buccis? Fatum suum in animo & ore gerebant assiduè Pagani, cujus ictum nemo exiret, cujus nexum nulla Tenedia securis scinderet. Falsi in tantum, quod liberius justò frena ei laxantes etiam in liberas intelligentium actiones campum evagandi permitterent, & nescio quas Jovis Amanuenses constituerent, *Concordes stabili fatorum numine Parcas*; *Virgil. Eclog. IV. 47.* quæ effata de humanis eventibus ex diphtherâ Jovis in Adversaria sua raptissimè conjicerent, & secundum ea fusos suos ferreâ quadâm & inevitabili necessitate ducerent. Non tamen in totum. Videbant omninò per densam quasi nubẽ *æternam ab æterno in æternum Dei legem, quam adeò non abrogare fas, ut nec abrogari ei liceret aut derogari*, quemadmodum *Lipsius* loquitur *Cent. I. Miscell. Epist. 61.* Videbant certo tramite decurrere & recurrere sidera: videbant pari mensurâ gaudere Elementa: certâ lege oriri & occidere animata cuncta videbant. At non pervidebant, sed fascinati præconceptis opinionibus animum celerẽ nunc huc nunc illuc dividebant, & veritati modicæ immiscebant vanitates plurimas. Optimè ex ipsis *M. Tullius*, extra omnem ingenii aleam positus, judicio *Plinii Præfat. Hist. Nat.* sensisse videtur, cũ & Stoicum Fatum destruit, & Physicum adstruit gravibus verbis Libro 1. de Divinatione fermè extremo: *Fatum* (inquit) *id appello, quod Græci* εἱμαρμένην, *id est ordinem, seriemq; causarum, cum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemq; modo nihil est futurum, cujus non causas idipsum efficiens natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id quod superstitiosè, sed id*

quod Physicè dicitur, causa æterna rerum, cur & ea, quæ præterierunt, facta sint, & quæ instant, fiant, & quæ sequuntur, futura sint. Hanc summam Naturæ constantiam ex alio nullo fonte derivare nobis neq; libet, neq; licet, quàm ex mutuâ istâ & religiosâ qvâdam consensione, quâ fœdere quasi icto & Sacramento dicto *alterius sic Altera poscit opem res, & conjurat amicè, Horatius Arte. v. 410.* Stant ac perstant mirificè supera, infera, magna, parva, medioxuma, qvia sibi pulcerrimè constant. Commune periculum concordiâ propulsant naturaliter omnia corpora naturalia, ne dum singula pugnent, universa vincantur. Habent qvippe & ipsa, habent hanc non scriptam, sed natam legem, ad qvam non docta, sed facta, non instituta, sed imbuta sunt, Concordiâ res parvas crescere, discordiâ maximas dilabi. Hinc coëunt in unum & armant se contra inimica tela, dum se amant. Amant autem ita se, ut & odia habeant, & tantum non Cadmæa prælia misceant. Hinc nihil est sine pari, nihil sine impari. *Unum est contra unum, & duo sũt contra duo*, dicit ipse Codex Biblicus *Sirac. XLII. 26. Frigida pugnant calidis, humentia siccis, Mollia cũ duris, sine pondere habentia pondus*, inquit *Ovidius Lib. 1 Metamorph. Fab. 1. v. 19. Quædam mutuo connubio sibi associantur, & tanqvam fœdere devinciuntur, aliqva verò sibi ipsis infesta & simultate dissentiunt, cæterq; laborent discordiis, vel horribile aliquod & destructivum habẽt, quod rationibus ullis & probabilibus nec quæri nec arctari possunt*, scribit *Joh. Baptista Porta lib. 1. Magiæ Nat. c. 7.* In sinu fovemus mortales duos professos hostes, Calidum & Humidum Radicale, quorum illud ut flamma habet, & ab sumit, istud ut lychnus, & absumitur; illud agit, hoc patitur, & patiendo nihilo secius paulatim renititur, donec ex insidiis tandem ac qvasi per cuniculos hostem aggrediatur, ceu Antæus aliquis ab ipso casu sumẽs animum opesq;. Ita nimirum in togâ sagum, in amicitia inimicitia, in summâ rerum naturalium Concordiâ summa videtur regnare Discordia. At videtur. Verè namq; & hic *amantium ira est amoris redintegratio, Terent. Andriâ III. 3. 23.* Et ut in patheticâ aliquâ melodiâ dissonantia paulò durior in svavem harmoniam desinit, ita hæc jurgia in fœdera. Lustrabimus impræsentiarum castra hæc Civilium Naturæ Bellorum, non ut transfugæ, sed ut exploratores, & quantum per ingenium ac ætatem fieri poterit, circumspectè indagabimus, *Quid velit ac possit rerum concordia discors, Horat. Lib. 1. Epist. 12. Ajunt glori-*

gloriari solitum Q. Hortensium quod nunquam Civili bello interfuisset, scribit disertissimus Romuli nepotum *L. II. Famil. Epist. 16.* At nostris hisce conflictibus intererimus nos extra culpam, extra noxam, non tamen extra gloriam. Gloriari poterimus jure pulcerrimo, si in secundis tertiisvè substiterimus, ubi non licuerit in primis. *Non semel quædam sacra traduntur. Eleusis servat, quod ostendat revisentibus*, differit *Seneca Natt. qq: Lib. VII. c. 31.* Perorabit causam nostram facilè animus veri investigandi cupidus, si vel maximè aliquando percupito fraudetur exitu. *Etiam non assecutis voluisse abunde pulcrum atque magnificum est*, ait *Plinius Præfat. H. N. & Præfat. L. III. Haut ullo in genere venia justior est, si modò minimè mirum est, hominem genitum non omnia humana novisse.* Cogitabunt hoc Boni omnes & nobis favebunt.

SECTIO PRIOR
EXHIBENS GENERALIA.
THEMA PRIMUM.
Consensûs & Dissensûs vocabula parùm nobis facessant negocii.
EXEGESIS.

§ 1. Litem hîc movet Subtilis *Scaliger* de vocabulis, Exercit. CCCXLIV. 2. Carpit Latinos, quod Sympathiam Consensum, Antipathiam Dissensum interpretati sint. *Illud satis rectè*, subjicit, *antipathiam neque rectè, neque plenè. Aliud enim est dissentire, aliud contra sentire. Scitur apud Philosophum, quid contrarium, quid diversum. Plumbū si non trahitur à Magnete, dissensio fit. Hoc erit Græcis ἀλλοπαθεῖν sicut ἀλλοφρονεῖν. Si qua Magnetis species ferrum abigit, id est antipathia.* Carpit & Græcos. *Ex duobus id quod patitur*, inqvit, *puta ferrum à Magnete, probè dicetur συμπαθεῖν? Non enim Magnes patitur. Quo igitur modo Ferrum particeps erit Passionis? Si abigitur à quodā Magnete ferrum, tunc nullo modo Ferrum ἀντιπαθεῖ. Imò eodemmodo συμπαθεῖ ad motum aversum, sicuti cum sese applicat ad motum adversum. Quare omninò Græcæ Voces minus satisfaciunt. Præterea brassica ubi avertit se à vite, non tàm fugatur qvàm fugit. Est hic dissensus, ἀντιπάθεια non est.* Ita scilicet habent acria & sublimia ingenia, ut ignem suum imitati rapiant ac devorent obvia quæq;, & ubi apta combustioni materies non suppetit, ferantur gemino impetu in res viles & exiles, fœnum puta aut stramen. Hinc fit, ut dum subtilitatem nimis attendunt,

 Veri-

Veritati minus intendant. Atat in verbis simus faciles, modò in rebus conveniamus. Hæc est ista labes seculi, vocabula aucupari, syllabas sectari, literas numerare, & nescio quæ acutè excogitata Sophismata indè fabricare, omissis necessariis magis & serioribus. Ut haut inconcinnè *Seneca* huc trahendus sit, qui nugamétorum istos & fallaciarum architectos bellè excipit *Epist. XLIX.* cum ait: *Demens omnibus meritò viderer, si cùm saxa in munimentum murorum senes feminaq; congererent, cùm juventus intra portas armata signum eruptionis exspectaret aut posceret, cùm hostilia in portis tela vibrarent, & ipsum solum suffossionibus & cuniculis tremeret, sederem ociosus, & ejusmodi quæstiunculas ponens: Quod non perdidisti habes: Cornua autem non perdidisti: Cornua ergo habes: aliaq; ad exemplum hujus acutæ delirationis concinnata.* Et *Epist. XLIIX. Pudet me, in re tàm seriâ senes ludimus. Mus syllaba est: mus autem caseum rodit: syllaba ergo caseum rodit. Puta nunc me istud non posse solvere: quod mihi ex istâ Sententiâ periculum imminet? quod incommodum? Sine dubio verendum est, ne quando in muscipulâ Syllabas capiam, aut ne quando si negligentior fuero, caseum liber comedat. Nisi fortè acutior est illa collectio. Mus Syllaba est: Syllaba autem caseum non rodit: Mus ergò caseum non rodit*

§. 2. Quod ad rem attinet: scitur utiq; quid sit diversum, & quid contrarium. Illud etiam potest esse sine pugnâ, unde *Distinctio*, istud autem nunquam est nisi cùm pugnâ, unde *Oppositio*. Sed scitur *aput Philosophum*, quod signanter addit Scaliger. Aristotelis autem & Philosophorum subtilitates quis venatur ubiq; aut sectatur? Loqvimur cum vulgo & sapimus cum eruditis. Plumbū non trahitur â Magnete, quia non adest consenses Ergonè dissensus datur? Haud ita. In neutram partem inclinat, & nec amicis, nec inimicis magnetis accensendum. Et Magnes omninò patitur, quando dicitur cū ferro συμπαθεῖν. Qvippe hoc παθεῖν generale est, nec injuriam duntaxat aut molestiam infert, sed affici quocunq; modo, etiam in bonum. Quod nec ipse inficiari valet, cùm in limine hujus Sectionis dicit: *Græci πάθος affectū omnem sine sensu etiam intellexêre. Hinc Sympathiā dixere communē effectionem duabus aut pluribus rebus.* Meminisse debebat Illustris Vir Verborū suorū, qvæ hoc ipso in locô præmiserat & subjunxerat. Præmiserat: *Romanis in Philosophiâ paulo crassiusculis detur hoc.* Detur ergò, nec unâ quod manu porrigitur, alterâ auferatur. Quod semel pla-

placuit, amplius displicere non potest. Nota est cæteroqvin satis superq; felicitas Græcæ lingvæ in fabricâ vocum elegantissimarum, & ad qvam Romanæ Camenæ ægravitas frustrà adspiraverit. Hinc *Flaccus Arte v.323.*

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqvi.

Et Martialis Lib.IX Epigr XI. Nobis nō licet esse tàm disertis,
Qui Musas colimus severiores.

Et hæc absolvant Latinos. Subjungit: *Juvandi enim, haut oppugnandi sunt, qui nobis jecêre fundamenta Sapientiæ.* Et hæc sufficiant pro Græcis. Nobis perinde quidem erit, sive Sympathiam dicamus & Antipathiam, sive amorem & odiū Naturæ, sive Consensum & Dissensum, sive amicitiam, & inimicitiam, sive Concordiam & Discordiam, sive raptum similium & fugam dissimiliū. Nominum possessio neminem facit divitem, Deus Philosophorum, Plato dicebat: Et ex eo Galenus: Divites magis prudentiâ ad senectutem perveniemus, si nomina neglexerimus.

THEMA SECUNDUM.

Consensûs & Dissensûs Corporum naturalium Causa Efficiens Remota Principalis est Forma; Instrumentalis, Qualitates partim Manifestæ, partim Occultæ; Proxima, Similitudo & Dissimilitudo.

ELABORATIO.

§. I. Contemplamur omnes curiosis oculis miram pacem, miram pugnam rerum naturalium, quâ se nullis datis benefactis amore prosequuntur, nullis acceptis malefactis odio persequuntur mutuo. Miramur tàm concordem discordiam, & discordem concordiam; & velut admiratio fermè omnis nostræ cognitionis magistra exstitit, etiam rimamur. Inflammat ardorem animi difficultas rei, & generosas mentes tantò acrius instigant, qvæ à sensibus sunt remota magis, & vulgo inaccessa. Prout etiam in foris publicis vilipenduntur, quæ parvô constant, in precio contra ac deliciis habentur, quæ cariùs æstimantur. Hæc est ista naturalis sciendi cupido, à qua *Metaphysicam* suam orditur *Aristoteles*, cum inquit: πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Hi sunt isti igniculi, qui ingenerantur animis nostris cum primo semine, & fallunt sub sacris, quasi Vestæ cineri-

bus tàm diu donec ſuſcitabulo contemplationis, & attritu eruditæ diſceptationis prolectentur, & in flammam adoleſcant apertiſſimam. Imò verò hæ ſunt iſtæ reliquiæ Imaginis Divinæ, quæ quaſi rudera quædam de magnâ domo, quaſi guttulæ de ingenti pluviâ, quaſi fragmenta de cœleſti pane reſtiterũt univerſo mortalium Generi. Hinc tantoperè *Scire volunt omnes*, juxta *Juvenalem Sat. VII. 157.* Et quia *ſcire eſt rem per Cauſam cognoſcere*, ſecundum *Platonē in Theæteto* οὐκ ἴσμεν τὸ ἀληθὲς ἄνευ τῆς αἰτίας, *& Ariſtotelem 1. Phyſic. c. 1. t. 1.* τότε οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα (cōferatur & *1 poſter analyt. c. 2. & 2. Phyſ. c. 3. t. 27.*) hinc *Maronis* iſtud votum in linguâ & pectore omnibus: *Felix qui poterit rerum cognoſcere cauſas. II. Georg. v. 490.* Cauſas ergò venantur & ſcrutantur omnes, cauſas proferunt & conferunt: *& ut inter cætera mortalitatis incommoda & hæc eſt, caligo mentium, Seneca L. II. de Irâ c. 9.* falſa ſubinde obrepunt pro veris, & quæ vix ſpeciem cauſarum mentiuntur pro verè talibus magno Caveæ applauſu venditantur. Quò ſollicitiùs & circumſpectiùs nobis quoqve in præſenti re progrediendum erit. Quod ſi namque tantoperè ſudàrunt in volvendo ſaxo hoc excellentia & conſummatiſſima capita, quid nobis ſperandum, qui & ab ætate & ab eruditione longiſſimè infra illos projecti ſumus? Quia tamen non paucis Fortuna quoq; pro Virtutibus fuit, & in magnis vel voluiſſe ſat eſt, tentandum erit aliquid, & verſandum, quid ferre recuſent, quid valeant humeri. Etiam vident, imperfectè qui vident, audiunt, quibus aures obtuſæ. Vel mica Sapientiæ præferenda nulli.

§. 2. Ut ergò rem omnem repetamus paulò altius: Tria ſunt in univerſum Efficientia, DEUS, NATURA, ARS. Ars potens, Natura potentior, Deus potentiſſimus eſt. Ars prudens, Natura prudentior DEUS prudentiſſimus. Deus verſatur circa Subſtãtias creando, Natura circa eaſdem generando, Ars circa mera accidentia concinnando. *Artem* nunc nō attendimus, non intendimus: melioribus & altioribus curis noſtra ſervatur opera. *Deum* Opt. Max. veneramur & adoramus meritò, tanquam omnipotentiſſimum totius Univerſi Opificem. Scelus eſt de Creaturis agere, & Creatorem negligere. Socrates ipſe, totius Græciæ ſapientiſſimus ex tripode renunciatus, eos caſtigat graviſſimè, qui in cauſis ſecundis immorantur, primas verò negligunt, & Mentem illam quæ omnia ordine diſponat regatque

que vocat τὸ αἴτιον τοῦ ὄντι, reverà causam, apud *Platonem in Phædone*. Quapropter tantum abest ut seponamus Gloriosum Conditorem, ut potiùs supponamus, ceu Ens Entium & Causam Causarum. At non subsistendum hîc, sed plus ultrà tendendum. Non acquiescit Sapientis animus in generalioribus, & quorum notitiam videt sibi cum lippis & tonsoribus communem: sed fructum studiorum suorū reputat ultra vulgus sapere. Hinc *Naturam* ipsam investigat penitrantissimâ mentis acie, ne in viâ Generationis constitutus ad viam Creationis persæpè immani ruat saltu. Hæc verò quia duplex est, Materia & Forma, *per Aristotelem 2. Phys. c. 1. t. 7. & Zabarellam l. de Naturâ cap. 6. & 7* etiam porrò procedamus *Cessatio namq; ingenuo Studioso ignavia est, Scal. Exerc. CCCLIV. 2.* Cadit autem statim causâ suâ *Materia*, & loco cedit. Est enim tantùm Principium Passivum, & nullius rei effectrix. Unde *Scaligero omnium Entium ignavissimum* salutatur *Exerc. VI. 1.* Quod tamen cum micâ salis capiendum, ne omninò de ipsarum Causarum ponte præcipitemus Materiam Non ignavum statim & ociosum est in Naturâ, quod actione rigorosè sic dictâ caret. Id qvod patet ex ipso *Scaligero Exerc. VI. 9.* ubi ad objectionem: *Si anima esset in tritici, puta, semine, quod annum aut amplius servetur, quî fieri possit, ut efficiens Causa sit ociosa?* accuratissimè subjicit: *Respondeo falsam esse hypothesin. Ociosum enim est, quod cùm debet aut potest agere, non agit.* Quantumvis itaque influxu effectivo & speciali Materia non agat, & ideò etiam rectè â nobis negetur esse Principium actionum Physicarum: interibi tamen vi causalitatis suæ verum & positivum influxum præbet ad intrinsecam & essentialem cōstitutionem Compositi, & sic adhuc pro ratâ suâ portione agit aliquid. Restat ergò & triumfat sola *Forma*, ceu causa princeps ac prima Consensûs & Dissensûs Corporum naturalium, quæq; maximè dicitur Natura ab Aristotele, & magis quàm materia *Libr. 2. Phys. cap. 1. à t. 7. usq; ad 15.* Hæc urgenda & vestiganda præprimis est indagatori Naturæ industrio. Substantia nominanda & ponderanda est, non misella duntaxat accidentia. Ne corticem tantummodò arripiamus, & ad nucleum nunqvam pertingamus: ne *Ciconiæ adinstar à vulpe elusæ vitreum vas lambamus, bulitem non attingamus, Scaliger Ex. CCCVII. 21* Rectissimè *Aristoteles lib. II. de Generat. & Corrupt. c. 9. t. 53. & seqq.* reprehendit quosdam Veteres, quod per Qualitates

primas

primas λίαν ὀργανικῶς (nimis instrumentaliter) generationem fieri docerent: omittentes τὴν κτ τὸ εἶδος αἰτίαν, (causam specificam, h. e. Formam) & perinde facientes, ac si qvis serræ & cæteris id genus instrumentis eorum, quæ per illa fiunt, causam tribuat. Quod ô si ipse qvoq; idem aut seqvaces ejus observâssent in nobilissimâ hâc de mundo scientiâ. Dubio procul non adeò tenaciter vi plasticæ tantùm, aut calori & frigori in generationibus rerum naturalium adhæsissent. Sed *ita comparata est hominum Natura omnium, aliena melius ut videant & judicent, quàm sua, Terentius Heaut. III. 197* Et *qvotusqvisq, Philosophorum invenitur, qvi disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet, qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat* ! exclamat *Cicero II. Tuscul. Quæst.*

§. 3. Cæterum quia Formarum est oppidò insignis diversitas, judicio hic cumprimis exasciato usus erit, quippe quod *animam Sapientiæ* salutat *Scaliger Præf. Exerc. & cui plura ad discernendum, quàm memoriæ ad discendum tribuit* Præclariss. DN. PRÆSES *Dedic. extremâ Antiparasceves Pro Traduce.* Aliæ namq; actum ultimum & specificum Naturæ largiuntur, certamq; speciem mundi efficiunt: aliæ lege naturæ sub specificæ domino latent aliqvando donec factâ αὐθυμαχλίᾳ & jugo excusso proprium sibi domicilium exstruant: aliæ sine lege & per accidens insunt corporibus nonnullis naturalibus aliæ deniq; certam partem integrantem constituũt. Hinc famosa ista Distinctio Formarum in Specificas, Subordinatas, Accidentarias & Partiales, apud Exc. DN. PRÆSIDEM *in Instit. Phys. L. I. c. 3.* ac præcipuè *in Defensione Tractatûs de Origine Formarum Lib. II. Cap. X. à pag. 296. ad 374.* Distinctè itaq; hîc de distinctis pronunciandum est, ne confusio oboriatur Mater errorum. Quocirca ad *Specificam* Formam referimus ea Consensûs & Dissensûs genera, quæ toti alicui speciei competunt. Huc pertinet Sympathia magnetis & ferri, magnetis & poli, fici & rutæ, brassicæ & nutæ & occultæ qualitates omnes gemmarum, lapidũ, metallorũ: Antipathia ita magnetis & allii, Adamantis & herbarũ solutivarũ, ovis & lupi, milvi & pulli gallinacei, unicornu & veneni, torpedinis & piscatoris, omniumq; venenorum & alexipharmacorum. Nec absque ratione huc reduci videtur perniciale hominis & serpentis dissidium. Quantumvis enim dentur quædam Individua, quæ in sinu fovere gaudeant serpentes, & familiarissimè iis uti, veluti circumforanei & agyrtæ, Marsi item & Psylli,

de

de quibus *Plinius l. XXVIII. cap. 3. & Scaliger Exerc. CCCXLIV. 7.* tamen abhorret naturaliter humanus animus à pestilentissimo animalium, & larvam ac instrumentum nequam abjuratissimi hominum inimici Sathanæ extremè detestatur & abominatur, adeò ut tantum non ad primum ejus intuitum ipsam fermè cum sanguine evomat animam. Unde appositè & nervosè, ut cætera omnia, DN. PRÆSES *Synopsi Physicâ lib. VIII. c. 8. Axiom. I. Nulli amicus serpens. Cum homine bella gerit assidua, & vel solo adspectu terret fortissimum quemq;. Cum propriâ ergò prælantur naturâ, in sinu qui alunt serpentes.* Si confugitur hic ad indicibilem quandam mistionem Elementorum, & peculiarem qualitatum primarum temperiem, quam hinc ἰδιοσυγκρασίαν nominant, respondemus cum Scaligero *Exerc. CCCXLIV. extremâ: Qui ad Elementorum manifestas omnia reducunt Qualitates, ipsi nihil aliud quàm Elementa sunt.* Nobiliores utiq; sunt istæ operationes, nobiliores item qualitates, quàm ut Elementari cuidam causæ suam debeat originem. Nihil agit ultra vires suas: quod quis non habet, alteri dare nequit. *Assumant ignem, aërem, aquam & terram, misceant modo dicibili & indicibili. Nunquam habebunt inde vim Magnetis ferrum trahentis & ad polum se convertentis*, ex veri tripode scribit *CL. DN. PRÆSES Lib. II. Instit. c. 3. Q. 4.* Ergò Forma hic urgenda, & talis quidem, quæ sit *Natura quinta, longè alia à quatuor Elementis*, juxta *Scalig. Exerc. CCCVII. 20.* quæ habeat φύσιν ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, uti de Calido innato loquitur *Aristoteles II. de Generat. animal. c. 3.* quæ agat κατὰ τὴν ἰδιότητα τῆς ὅλης οὐσίας, uti *Galenus* disputat *VI. Epid. Comment. 6. t. 5. item Lib. V. de simplic. medic. facult. cap. 1. 2. 17. 18. 19.* & locis aliis; quæ laudat *B. SENNERTUS Hypomn. II. c. 2. p. 50. 52. 53.* Consulatur & Tractatus Domini Professoris Nostri *de Morbis totius Substantiæ. Subordinatis* Formis accensemus ea, ubi datur Consensus aut Dissensus non in viventibus, sed in mortuis. Sic elleborus albus & niger, item rhabarbarum purgat, non amplius vivens. Bufonibus utimur ad extrahendum venenum, at exsiccatis. Morsui canis rabidi non medentur cancri ipsi, sed cinis cancrorum fluviatilium. Contra epilepsiam adhibentur cornua & ungula alces, cranium humanum, radices Pœoniæ. Quæ certè à Formâ Specificâ fluere nō possunt, utpote quæ dudum exspiravit. Ab *Accidentariis* Formis dependet, cùm quidam sive per totam ætatem, sive ad tempus

 saltem

faltem & ex intervallo quasi aversantur caseum, vinum, carnes aut pisces. Inest enim Subjectis illis corpusculũ aliquod, sine lege tamen, sine necessitate, cujus forma inimicitiam fovet cum dictis ciborum formis, utrinq; intervenientibus Qualitatibus peculiaribus. Hinc Celeberrimus *D. Sennertus Hypomn: II. cap. 3. Quod verò qvidam caseum, alii lucios pisces, alii vinum aversantur, id ab impotentiâ naturali est, è peculiari ventriculi in hoc vel illo individuo dispositione proveniente: qva cùm non semper sit perpetua, sed nonnunquam ætatis progressu, vel aliis de causis mutetur, accidit sæpè, ut qvin pueritiâ caseum aversati sunt, & abstemii fuerunt, postea in virili ætate caseum comedant, ac vinum bibant.* Et hinc etiam fluxit similitudo ista, quam Puella quædam Vratislaviensis fovit cum indole & genio cattorum, cujus *Weinrichius* meminit *L. De Ortu Monstrorum cap. XV.* Ea namq; ebibito cõtra Epilepsiam felium sanguine, paulò pòst felis naturã induit ex intervallo, & qvod id animal in ædibus solet, id illa imitata est, voce, saltu, gestu, vestigiis, cum mures in silentio venaretur, in angustissimis etiam qvibuscunq; poterat foraminulis, idq; ita diu dum paroxysmi vehementia remitteret. *Partialis* deniq; Forma est cordis, quã habet Sympathiam cum auro aut lapide Bezoar, & Antipathiam cũ veneno. Partialis & illa est certorum humorum in corpore cum his vel illis plantis & medicamentis purgantibus A Partiali itidem certorum membrorum formâ provenit, quando capiti inservit Majorana aut capita papaveris; oculis Euphragia, Pulmonibus pulmonaria, Epati epatica, Renibus & testibus orchides aut bulbi, cordi mala citria; doloribus dentium radices filicis aut Juniperus. Ubi non adspernenda omninò istorum Sententia, qui *Signaturis* quas vocant, externis suum etiam relinqvunt locum, præsertim si non uni signo soli velut primario fides habeatur, sed experientia imprimis consulatur. DEUS enim & Natura nihil faciunt frustrà, juxta *Aristotelem Lib. I. de Cœlo cap. IV.* Videantur hanc in rem plura & selectiora apud *Dn. D. Sennertum in De Consensu & Dissensu Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis cap. XVII. & Alstedium Encyclopad: Lib. XIII. part. VIII. cap. VI.* ubi agit de Physiognomiâ Botanicâ.

§. 4. Formam exhibuimus hactenus, tanquam Reginam & Dominam: eam excipiunt *Qualitates*, tanquam ancillæ & administræ. Ac id quidem ex duplici fundamento. Primò, QVIA NULLA SUB-

STAN-

STANTIA CREATA EST IMMEDIATUM ACTIONUM SUARUM PRINCIPIUM. Quidquid agunt Creaturæ, etiam quidquid patiuntur, non agunt, quatenus Creaturæ & Substantiæ sunt, sed quatenus certis accidentibus instructæ sunt. Solus Gloriosus Deus expers est omniũ accidẽtiũ, omniũ mediorũ, omniũ instrumentorũ. Quãdo intelligit & vult, per suã essẽtiã intelligit & vult: quãdo punit aut miseretur, per suã Essẽtiã punit aut miseretur. Nihil enim est in Deo, quod non sit ipse Deus. Hinc Scaliger *Exerc.* CCCLXV. 8. *Et omninò quidquam in Deo ponere, quod non sit absolutum, & quod non sit ipse Deus, impium est.* Ob simplicissimam scilicet unitatem & unissimam (*Lutheri* verbum est *Commentar. in Genes. XXVI. p. 390.*) simplicitatem. Reliqua creata omnia tantò magis ab hâc summâ simplicitate remota sunt, quantò magis à Deo ipso, rerum universarum normâ & regulâ. Etiã Angeli ipsi & Animæ nostræ non immediatè agunt, qvicqvid agunt, sed obtinent adhuc suam compositionem ex subjecto & accidentibus, ex Essentiâ & Facultatibus. Quidquid obstrepant Scholasticorum nonnulli, Scotistæ cumprimis, quorum pleræq; disceptationes quasi tubæ quædam sunt inanes, è qvibus ubi sonus exiit, nihil manet intùs. Contra quos feliciter militant *Thomas 1. p. q. 54 art. 3.* Reverẽdus Præceptor Noster *Dn. D. Scharffius Pnevmatica lib. III. cap. III. & Q. 1. Scheiblerus Lib. II. Metaph. cap. 3. §. 58.* & ex parte ipse DN. PRÆSES *Anthropologia lib. I cap. II. Q. I.* Quod ergò de Angelis & Animabus nostris valet, multò magis valebit de Formis cæteris Materialibus. Deinde, QVIA SUBSTANTIÆ NIHIL EST CONTRARIUM, terminativè puta & immediatè, per Canonem *Aristotelis lib. Categor. c. 5. §. 18.* Sæpè qvidem Homo Homini est Lupus, Homo Homini est Diabolus: at non ob naturam & essentiam suam, sed ob inimicitiã, ob invidiã, ob truculentiã. Diabolus ipse Deo nõ contrariatur ratione substantiæ suæ, quæ valdè bona, sed ratione nequitiæ & superbiæ. Accidentia ergò cumprimis notanda, ubi de Cõsensu & Dissensu rerum agitur: & inter ea solæ Qualitates. Fundamentum amoris & odii qualitas. Qualitatum enim maximè proprium est simile & dissimile. Et contrarietas in omnibus Prædicamentis quæsita, in solâ Qualitate est reperta, per Boëtium.

§. 5. Facimus hasce Qualitates duplices, Manifestas & Occultas. Seqvimur, quò nos Natura trahit retrahitq;. Ab eâ enim solâ depen-

det Physicus, uti quoad nomen, ita quoad rem. *Occultas* ergò Qualitates, hoc in negotio toto sinu admittimus. Ne *Scaligeri* illud audiamus *Exer.CCXVIII.8. Ad manifestas omnia deducere Qualitates, summa impudentia est. Id quod Alexandrei nonnulli & frustra conati sunt, & temerè instituerunt.* Et istud *Sennerti Hypomn.II.cap.1.Liberè & audacter pronuncio, vix ullam perniciosiorem opinionem, & qva optima etiam ingenia irrito & inani labore magis fatigaverit & attriverit, in Physicam irrepsisse, qvàm illorum, qvi omnium eorum, quæ in rebus naturalibus fiunt, causas è quatuor Elementis & Qualitatibus manifestis, primis dictis, deducere conati sunt.* Qualitas occulta utiq; est in ove & lupo, in magnete & ferro, in magnete & alio, in torpedine & piscatore, in echeneide & nave, in quercu & oleâ, in brassicâ & vite, in rutâ & ficu, in rhabarbaro & bile, ac ceteris medicamentis purgantibus. Quid? quod vel sola venena manu nos ducant ad Occultas Qualitates. Ut meritò pronunciet *Scaliger* loco citato: *At saltem in venenis Exempla nostra decuit conquiescere. Eorum namq; multa diversas habent ab Elementorum qualitatibus proprietates, quæ omninò latent animos temperatos, illudunt curiosis.* Venena aspidis, viperæ aut Scorpii, quàm subitò, quam miserè, quam in minimâ quantitate necant homines! *Ælianus lib. IX. de animal. c. 57.* refert, morsuum vestigia, quæ aspis imprimit, tam obscura & parva esse, ut indicia vix acri oculorum acie deprehendantur. Cui *Galenus* accedit *Lib III. de locis affectis cap. 7.* scribens: Marinæ turturis, quemadmodum & terreni scorpii aculeus in partem extremam, acutissimam illam quidem finitur, ubi nullum foramen est, per quod venenum dejici possit, necesse est tamen, ut excogitemus substantiam quandam esse aut spiritualem aut humidam, quæ ut mole minima, ita facultate maxima est. In Nubiâ memorat Joh. Leo in Descriptione Africæ Lib. VII. (citante *Bartholino, Phys. Special. Part. III. Lib. 2. cap 12.*) reperiri venenum, cujus granum unum si propinetur decem hominibus, omnes statim jugulentur horæ quadrante. Quod & Scaliger confirmat *Exerc. CLIII. 11.* Alexiteria seu amuleta itidem venenis adversantur nō caliditate, frigiditate, humiditate aut siccitate, sed unicè occultis Qualitatibus, & totius naturæ suæ contrarietate. Interim tamen etiā *Manifestas* non omittimus, sed in totâ Naturâ amicitiam per easdē censemus foveri & excitari. Hinc ignis igni jungitur, aqua aquæ, ob caliditatem, ob humiditatem. Parva flamma ve-

ina velocissimè à majori attrahitur. Candelam in fornace accensam vix aut ægrè cum igne extrahimus. Resilit enim ignis ad ignē, & calidum jungi amat calido. Æstatis tempore internus calor provocatur ab exteriori, unde tunc ventriculi nostri debilissimi. Humida penna atramento superiùs admota attrahit humiditatem aliam. Poma frigore concreta frigiditatem exsuunt, cùm frigidæ immittuntur undæ. Contrà si in oleum vel butyrum aut qvamcunq; pingvedinem calentem aqva inspergitur, fugit ignis ab aquâ ut hoste, flammam excitat, & cum strepitu ac crepitu summitates ædium petit, quas hoc modo sæpius conflagrâ se compertum est. Idem strepitus excitatur, cùm in balneis lapidibus ferventibus situla una aut altera aquæ affunditur. Resilit ibi ignis ab hoste, & ad assa proruens cum impetu, ingenti calore balneatores afficit, & sudores largissimos elicit. Et qvis omnia fando exprimat?

§. 6. Harum autem Qualitatum quædam habent inter se similitudinem, quædam dissimilitudinem. Ab illâ fluit Consensus. *Similitudo* locum ubiq; obtinet. Hinc simile simili gaudet. Etiam in moralibus *ad conjungendas amicitias quantam vim habeat studiorum ac naturæ similitudo*, uti loquitur *Cicero pro Cluentio*, apud Scriptores morum, Magistros humani generis, cum maximè decantatum est. *Hinc Plinius lib. IV. Epist. XV. Est ad connectendas amicitias vel tenacissimum vinculum, morum similitudo.* Idem obtinet in naturalibus. Aër aëri semper jungi desiderat, & hoc ut faciat, resistit aliqvid adversi molientibus. Unde lapidis de tecto motus in principio tardior, in fine velocior. Bullarum in aqvâ aut ex smegmate à pueris factarum una tendit ad aliam, ob similitudinem. Si quis manum pice inquinavit, eam aquâ purâ non mundabit, sed oleo aliquo aut pingvedine, quæ picem liquefaciat. Guttulæ aqueæ in orbem se cogunt & quasi osculantur mutuò, ob nativam suam cognationem. Speculum confortat oculum, ob convenientiam, quam habent invicem. Nam speculū est oculus artificialis, & oculus est speculum naturale. Sic venenum venenum extrahit & morsus animalium venenatorum curantur venenorum aliorum admotione. Hinc *Scaliger*, ubi Galeni ista adduxerat, *Theriacam esse mediam inter medicamentum & venenum*, subtilissimè addit: *Propterea quod cùm Theriaca sit ex veneno composita, & ex iis, quæ veneniis adversantur: dicam ex duobus extremis naturâ, medium*

factum arte. Itaq; venenum additum est, ut peculiari similitudine cognatū venenum appeteret, cumq; eo sese involveret atq; ei afferret id, quod ipsum vel expelleret, vel extingueret, Exerc.XXXIII.2. Præclarè quoq; Experientissimus *Basso Libro de Actione, Intent.I.Art.II. Bufones arefacti, ac regioni cordis applicati venenum omne exhauriunt. Sic ex bufone prælargo fit ungventum admirandæ virtutis &c. Quid dicam de illo pulvere ex lumbricis confecto, qui lumbricos per miraculum enecat? Nimirum hoc pulvere haut secus ac calce aqvam, humidum lumbricorum, quo destitutus est, attrahente. Quid de Scorpione, qui parti qvam punxerit illitus venenum attractione sanat quod immisit? Caput serpentis amputatum appositumq; vulneri quod inflixit morsus ejus, venenū similiter prolicit. Sed quid de pulvere qvi ex eo fit, dicendū sit quo assūto nullū certiq est adversq venena remedium. Attractione veneni, an expulsione id facere putandum est?* Hæc ille. Verissimè ergò *Cicero in Lælio: Nihil est appetentius similium sui, nihil rapacius, quàm Natura.* Quæ ingeniosissimus *Fracastorius* hîc in cōtrariū objicit *De Sympath. & Antipath. cap.V.* procedunt ex falsâ hypothesi, quâ cognitionem omnem, etiam Naturalem, denegat Plantis & rebus inanimis. *Dissimilitudo* contrà est in qualitatibus veneni & cordis nostri, in qvalitatibus ignis & aquæ, fraxini & serpentis, brassicæ & vitis, serpentis & aranei, coryli & serpentis, opii & sensuum animalium, ignis & nitri, nitri & sulfuris, sulfuris & salium De quibus posterioribus Antipathiis videatur Optimus Naturæ & mundi interpres, *B. Sennertus de Consens. & Diss. C. VI.* Summa Summarum: Raptus Similium & Fuga Dissimilium regnat in toto mundo.

THEMA TERTIUM,

Consensûs & Dissensûs Corporum Naturalium Finis est Naturæ conservatio.

CONFIRMATIO.

§.1. De Consensu res tàm in proclivi est probatu, quàm imber est, qvando pluit, aut pirum vulpes comest, uti loqvitur Decima Musa *Plautus Captiv. II.2.86. & Mostell.III.1.22.* Conservatur Natura optimè, cùm unitur maximè. Vis enim unita valet. *Pondus subituri operam dant, ut arctûs artubus qvàm conjunctissimè cohæreant, ac qvodāmodò fiant unum, quæ laxamentis diffita erant membra*, ait *Scaliger. Exerc.XXX.f.* Unitur autem tùm qvàm maximè, cùm datur Consensus inter similia. *Similia* qvippe *maximè appetunt unionem. Quod enim*

non

non est unū, nō est quidē. Ita quod est à suo simili separatum, videtur & illud defraudari essentia quasi complemento. Neq; enim duo ignes duo sunt, sed unus divisus. Quæ igitur duo sunt, atq; unum esse queunt, appetunt esse unum, Amans enim cum amatâ re unum esse, quoad licet, appetit. Quocirca & hærent & corpora conserunt, & Spiritûs duos osculorum conjunctione unus ut fit, faciunt, quod idem Subtilitatum Magister disserit pulcerrimè *Exerc. CCCX, 2.* Inde videmus, quantum dimicet ac laboret tota Natura prō unione sui, contra distractiones hosticas. Tanto sæpè ardore, ut quidqvid potius patiatur, etiam adversum sibi, qvàm separari se ac disrumpi. Grues in triangulo suo volitantes, cùm adventantem vident aquilam, statim sese in orbem qvasi in aciem contrahunt & conglomerantur. Ingruente procellâ arctissimè se jungunt pulli anatum, & latus lateri applicant, ut sustineant onus universi, cui non erant ferendo singuli. Idem præstant oves in campis, cùm intensissimum æstum volunt defendere suo corpori. Aqua qvæ per impluviū tecti decidit, in fluxûs principio conjuncta & continua est, ut uniat se. In fine disjūgitur ac divellitur propter celeritatē motûs. Motus enim naturalis in principio est tardior, in fine velocior. Sicut ex adverso motus violētus in principio est velocior, in fine tardior. Nihilo seciustamē etiā tūc se unit, quātū potest, & in guttulas illas gobosas rotat, ut ab aere circū castra metante se defendat eò meliùs. Idem sibi volunt omnes illæ guttulæ roris aut pluviæ, quæ summo manè aut alio quocunq; tempore arboribus adhærēt pendulæ, ubi quæq; suam fert herba lagenam. Aer cumprimis cum aere semper cōstipari amat, & ubiq; felicissimum vacui supplementum præstat, ne detur ullibi vulnus aut hiatus aliqvis in cōjunctissimo mundi corpore. Bibenti ex lagenâ angusti orificii non admovendum ôs ad totum, sed pars relinquenda ad aperta, ut qvantum liqvoris exhauritur, tantum aeris relabatur & ingrediatur. Quod elegantibus verbis exprimit *Plinius Lib IV. Epist. 30. Quod in ampullis, cæterisq; generis ejusdem videmus accidere, qvibus non hians, nec statim patens exitus. Nam illa quoq; qvāqvam prona & vergentia, per qvasdam obluctantes animæ moras crebris quasi singultibus sistunt, quod effundunt. Job. Bapt. Porta Lib XII. Magiæ Cap XIII.* qværit: *Qvomodo fieri poterit, ut candela perpetuò ardeat?* Et ubi varia hujus rei Exempla & judicia adduxisset, suum hoc modo subjicit: *Hoc pro rato & firmo in natura officinâ habendum est, mirabilium causam esse, vacuum non dari, & potiùs mundi machinam dirumpi, & omnia*

omnia retrocedi, quàm illud admitti possit: Unde si flamma vitro clausa fuerit, spiramentis omnibus interclusis, & si momento durnverit, perpetuò duraturam, nec extingvi possibile esse. Constat ergò satis superq; & prostat qvasi in mensâ Solis, Naturam combinari, ut possit conservari.

§ 2. Pro Dissensu itidem non sequior armatura militat. *Cato in familiâ suâ semper contentiunculas aliqvas aut dissensiones inter servos callidè serebat, suspectam habens nimiam concordiam eorum metuensq;, Plutarchus in Catone.* Æternus Paterfamilias, Omnipotentissimus Deus, ubi mundanum hoc ædificium construxit, ac civibus pulcerrimis instruxit, sevit pariter hàc atq; illàc occultas lites & cœca diffidia: sed quæ tandem tamen omnia ad Pacem facerent totius universi, & qvasi à duriusculâ melodiâ orsa in concentum suavissimum desinerent. Quod ergò Seneca alicubi de societate humanâ exqvisitissimè scripsit: *Societas nostra lapidum fornicationi similis est, qvæ casura nisi invicem obstarent, hoc ipso continetur:* idem qvoq; nobis de hâc discordi Corporum Naturalium concordiâ pronunciandum venit. In hoc se mutuis vulneribus proscindunt, ut osculis dissvavientur, in hoc discordant, ut concordent. In hoc Bellum inter ea geritur, ut in Pace vivatur. Et sicubi quædam adeô irreconciliabili flagrant odio, ut & interitum sibi intentent ultimum, distinguenda est Natura Particularis à Naturâ Universali. Semper unius Corruptio est alterius Generatio. Fatali labe & clade premuntur Individua, at sartæ tectæq; manent Species, à quibus unis totius mundi integritas.

THEMA QUARTUM.

Consensûs & Dissensûs Corporum Naturalium meminit Empedocles sub nomine Litis & Amicitiæ.

DIDUCTIO.

§. 1. Non heri aut nudius tertius demum Sapientia ex qvodam sive Jovis, sive hominis cerebro prognata est, sed origini mundi suam debet originem, & prodiit, cùm Adamus prodiit. Qvin imò si paulò altiùs rem velimus accessere, ab æterno jam tùm sedem fixam habuit apud scaturiginem sui Deum. Hic deinceps eam velut per canales quosdam & rivulos derivavit in humanum genus, & ex æqvo stricturas quasdam indidit omnibus magnæ illius flammæ. Hinc fuit illa, est, eritq;, quàm diu homines. Visa tamen fuit hactenus mirabili

bili qvodam & miserabili fato tantùm non uni se mancipâsse Aristoteli. *Averroës ait, cum velut Exemplar qvoddam propositum, in qvo quantum mens mortalium capere queat, qvantumq́; humano ingenio progredi fas sit, intelligere & admirari possint*, apud *Conimbricenses Proœmio in Dialect. Arist.* Qui ibidem addunt: *Aristoteles jure optimo bonarum artium Parens & Lapis Lydius Philosophorum dicitur. Scaligero* audit *Sapientiæ nostræ Dux, Præf. Exerc. Humanæ Sapientiæ Parens Exerc. CCI. 1 Summus ac primus scientiarum omnium Dictator, veritatis Præceptor, hujusq́; Sapientiæ Autor primus Exerc. I. 3. Homo de universâ humanâ sapientiâ præter supraq́; ceteros mortales benè meritus Exerc. VI. 4. Pererius* de eo: *Hujus Viri præstantiam, virtutesq́; laudando conseqvi velle, simile est, ut si qvis vellet Oceanum exhaurire aut stellas cœli dinumerare, & mundi totius magnitudinem manibus suis metiri, l. V. Phys. c. 1. p. 275.* Ubi idē Jesuita omnia Autorum Encomia convasat & convertit, quæ undecūq; in laudem Aristotelis conferruminare potuit. Nobis quidem haut tutum movere camarinam hanc, & exile nostrum judicium interponere in re tot dudum præjudiciis in utramq; partem ventilatâ. Periculosum plenum opus aleæ movendum nobis foret, & incedendum per ignes suppositos cineri doloso. Unicum tamen illud ingeminamus: NE QUID NIMIS! Fuit Aristoteles clarissimus & excellentissimus suæ tempestatis Philosophus & φιλοπονώτατος καὶ ἐρευνητικώτατος, uti Laertio salutatur: præstitit & multum in rerum naturalium inqvisitione non absq; laude: concedimus: *at Homo* fuit, *Ethnicus* fuit. Quæ bina vocabula ceu validissimi arietes prosternunt insanas illas omnium machinarum substructiones quas pro immodicis Aristotelis laudibus erectas vidimus hactenus. *Homo* qui est, humani ab se nihil alienum putat. Humanum autem est errare, sicut, Diabolicum in errore perseverare. Error si vocalis esset, totum orbem centum lingvis, centumque oribus pevagaretur. *Ethnicus* quidnî in operibus Dei enarrandis haut rarò dormitet & cæcutiat? Ibi cum maximè, ubi *nostra hæc in Literarum studiis peregrinatio sine supernâ luce, miserabilis qvædam erratio est*, uti *Scaliger* loqvitur *Exerc.* CCCLIX. 1 Nam ut non semel in Naturalibus Ratio incipit, ubi Sensus desinit, ita ubi Ratio desinit, Scriptura incipit. Hoc ergò lumine quia orbatus fuit Aristoteles, caligavit nycti coracis adinstar in plurimis. Prudentissimè Magnus *Sennertus*

in Epit. Phys. l. 1. c. 3. Procul dubio Aristoteles, si veram atq; primam formarũ originẽ ita ut nos novimus, & mundi creationẽ cognitã perspectãq; habuisset, in multis concinniorem melioremq; Physicam nobis reliquisset. Cui album lapillum adjiciens *Dn. D. Calovius Praefat. Metaph. Divinae* sic ait: *Aristoteles Philosophorum princeps facilè excusatur, quia altero quidem oculo res in Naturâ repraesentatas observavit perspicacissimè, altero verò quo res in Scripturâ revelatas intueri debuit, planè destitutus fuit.* Autoritatem quam vivus obtinebat Aristoteles, citra dubium debebat maximâ ex parte Alexandro suo. Quantam enim putas Magistro tantus Discipulus opinionem conciliavit? Mortuus eandem retinebat, quia per ruinam aliorum paraverat sibi gradum ad fastigium honorum, & qvia Natura hominum novitatis avida veterum scripta velut exoleta & exsucca, nauseabunda respuebat. Nam illa qvidem, quae de Aristotele vulgata sunt, nolim adhuc animum inducere, ut asseverem constanter. Eum scilicet Priscorum libros Alexandri beneficio undiq; congestos, compilato ex illis quidquid magis arridebat, ne sua furta paterent, igni caelandos tradidisse. Major aput me hominis reverentia. Hoc tamen ex *Bassone* dico *Praef. Philos. Naturalis*: *Quemadmodum solo calo q; sicco plantae atq; arbuscula, ubi non est copia succi melioris, quemvis humorem obvium sugunt, quem in suam naturam convertant: Ita postquam amplissima volumina, quae vetere de rerum naturalium caussis proprietatibusq; conscripserant, perierunt homines hujus scientiae avidi, qvod non esset, quo famam explerent, objecta haec fercula devorârunt, non discernere valentes initiò quae noxia bonis immista celabantur.* Istud item imprimis addo, quod pejores Aristotele semper Interpretes. Pugnant pro unâ lineâ aut voce tanquam pro aris & focis, & singula Aristotelis verba singulas reputant Definitiones. Quod Aristoteli nunqvam in mentem venit: qvippe cujus scopus erat non docere, sed disputare. Hinc tanquam *Hydrae capitibus* (dicente eodem *Bassone l. c.*) *repullulantibus dubiis, in varias factiones dissecti, Aristotelem ipsum ut canes Actaeonis miserè discerpserunt ac dilaniârunt, ut nihil ejus manserit integrum, quod non plures eorum vel lacerârint, vel dentibus contrariis in sensus contrarios distorserint*: ut gravissimè de iis *Theander Noster B. Lutherus* conquestus fuerit *Tom. 5. Jenens. Lat. p. 108. Jam plus trecentis annis tot Universitates, tot in iis acutissima Ingenia, tot ingeniorum pertinacissima studia, in uno Aristotele laborant, & tamen adhuc Aristotelem*

non

non intelligunt, verùm etiam errorem & fictam suam intelligentiam per universam pene Ecclesiam spargunt.

§. 2. Cæterùm ut omnium rerum vicissitudo, ita & Sententiarum. Quæ opiniones magno olim consensu tanquam ostracismo quodam in exilium fuêre pulsæ, revertuntur deinde quasi jure postliminii in possessionem suam. Vixêre Sapientes ante Aristotelem multi, sed omnes illacrumabiles urgentur, ignotiq; longâ nocte. Hinc eruunt eos ex nocte erroris ac oblivionis hodie præstantissima & consummatissima ingenia, & suam benè tuentur ætatem, dum aliorum suæ adjiciunt. Non fuêre tàm absurdi, tàm inepti, tàm insani, tàm deliri veteres, uti proclamantur ab Aristotele. Sæpè sensu dimisso vocabula nuda insectatus est: sæpè & talia ipsis tribuit, non qualia statuerant, sed qualia statuisse eos ipse volebat, ut hoc melius eos posset refutare. Fatentibus id ingenuè ipsis Peripateticis. *Pererius ait l.IV.Phys.c XVI. se inficiari non posse Aristotelem in aliorum opiniones inquirendo & in his ipsis dijudicandis magis quàm æquum erat, durum atq; acerbum arbitrum & judicem extitisse.Conimbricenses* scribunt *in Lib 1. Phys. Arist.c.VII. Quæst.unicâ, art.1.Aristoteles antiquos Philosophos frequenter impugnat in iis etiam rebus, quibus rectè eos sensisse intelligit, non tàm quid illi significare vellent, quàm quod primo verborum adspectu indicare viderentur, expendens. P.Hurtadus de Mendozâ Disp.XIV.sect 2.* Veterum sententiam de spacio exsequens ita subjungit: *Fortè Aristoteles hoc illis ex suo cerebro imposuit pro suo more,ut eos melius expugnaret.* A quo nihil abit Petrus Simsonius in Academiâ Mussipontanâ Philosophiæ Professor, qui cùm Anaxagoræ sententiam ex Aristotele referret, ridendo Aristotelicam fidem, *Puto*, dicebat, *Aristotelem hos veteres suis armis spoliâsse, ut inermes faciliùs debellaret,*apud *Bassonem l.1.De materiâ & misto Int.1.art.5.* Scilicet in pectore gestabat,Musas non in labris cordata Antiquitas.*Cùmq; ita scripta sua ænigmatum involucris verborumq; insolentiâ obtegerent & obscurarent, promtum cuiq; erat ea in varios sensûs ducere, Conimbricensibus* dicentibus *l.1.c.7.Q.unic.art.1.p.173.* Sed rectiùs ac sinceriùs judicans *Fr.Piccolomineus lib.de placit. Philos.cap XII.* scribit, *mentem potius quàm verba Veterum nos ponderare debere. Si enim verba ponderemus, eos potius celebres insanos, quàm celebres sapientes judicandos esse.*

§.3. At abripimur justò longius. Non hoc instituti nostri nunc, non

item virium, totum illum venerandum priscorum Sapientum Chorum in Theatrum adducere. De Empedocle pauca delibâsse juvabit. Is grigentinus fuit Siculus, & floruit unà cum Anaxagorâ, Democrito & Parmenide, ab Olympiade LXXX. ad XC. computante ita *Pererio l. IV. Physic. c. 4 p. 209. Celsus* de eo ita lib. 1. c. 1. (citante *Bassone Præfat. Philos. Natur.*) *Multos ex Sapientiæ Professoribus peritos medicinæ fuisse accepimus, clarissimos verò ex his Pythagoram, Empedoclem & Democritum.* Luculentius autem & exquisitiùs *Lucretius*, Naturæ consultissimus Poeta l. 1. v. 728. de Siciliâ & Empedocle loquens:

Quæ cum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio visendaque fertur,
Rebus opima bonis, multâ munita Virûm vi;
Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec Sanctum magis ac mirum carumque videtur:
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
Ut vix humanâ videatur stirpe creatus.

Carpit hunc & exagitat subindè magnus veterum Censor Aristoteles, tum verò præcipuè *lib. 1. Physic. c. 4. l. 3. de Cælo c. 2. & 3. l. 1. de Generat. & Corr. c. 1. & 6. l. 2. de Animâ c. 4. L. De Respiratione c. 14. lib. 4. de Generat. animal. c. 1.* & ubi non? Non ingredimur impræsentiarum hunc campû, ut Empedoclem liberemus ab omnibus insultibus adversariis. Forsitan & ipse in quibusdam aliquid humani & suos manes passus est.

Nam nemo vitiis sine nascitur. Optimus ille est,
Qui minimis urgetur. *Horatius l. 1. serm. sat. 3.*

Id duntaxat ad Philosophiæ veræ libramentum expendisse libet, quod de ipso vulgò circumfertur, eum Principia Corporis Naturalis statuisse LITEM ET AMICITIAM. Quam quidem ob rem præprimis vapulare videtur *Aristoteli lib. I. de generat. & corr. cap. VI. Joh. Baptista Porta lib. 1. Magiæ Naturalis c. 4.* ita eam sententiam profert: *Empedocles Agrigentinus Elementis uti non sufficientibus Concordiam & litem addidit, ex unâ res gigni, corrumpi ex alterâ, his versibus:*

Quatuor inprimis cunctarum semina rerum:
Jupiter æthereus, Pluto inferus, almaq; Juno,
Et Nestis lacrumis hominum quæ lumina complet.

Non-

Nonnunquam connectit amor, ſimul omnia rurſus
Nonnunquam ſejuncta jubet contentio ferri.

Jovem autem intelligit fervorem & æthera, almam verò Junonem aëra, Plutonem terram, Neſtim quoque humanos rivos, tanquam genituram, & aquam. Verum enim verò num Empedocles ideò Litem & Amicitiam in Naturam induxerit, quia exiſtimaverit Elementa aliàs eſſe invalida & inſufficientia, vix ac ne vix quidem ulla Svada nobis perſuadebit. Quemadmodum & iſtud nundum poſſumus adduci, ut inducamus animum; cum Litem & Amicitiam feciſſe *Principia* Corporis Naturalis. Certè Cornu Copiæ omnis Antiquitatis *Plutarchus L.I. περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις C. III.* ubi cæteras Thaletis, Anaximandri, Anaximenis, Anaxagoræ, Pythagoræ, Heracliti & Epicuri de Noſtro ita habet: Ἐμπεδοκλῆς Μέτωνος Ἀκραγαντῖνος τέτταρα μὲν λέγει στοιχεῖα, πῦρ, ἀέρα, ὕδωρ, γῆν· δύο δ' ἀρχικὰς δυνάμεις, φιλίαν τε καὶ νεῖκος. ὧν ἡ μέν ἐστιν ἑνωτική, τὸ δὲ διαιρετικόν. Ecce ἀρχικὰς δυνάμεις ſive qvalitates vocant Litem & Amicitiam, non autem ipſas ἀρχάς. Non ovũ ovo, non lac lacti ſimilius eſſe, qvam hanc Empedoclis ſententiam noſtrati, tàm perſvaſum nobis eſt, qvàm qvod poteſt eſſe perſvaſiſſimũ. Et demus Veteres interdum id qvod ſentiebant, non adeò cõmode protuliſſe, tamen noſtrum non eſt cum verbis ipſorum digladiari, ſed ad ſenſum cumprimis attendere.

Sit bonus interpres, tùm nil mala verba nocebunt:
Sit malus interpres, tùm nil bona verba juvabunt.

Obſignabam totam Diſſertationem hanc exqviſitiſſimo DOMINI PHILIPPI judicio *lib. II. Phyſ. pag. 204 ſeqq.* qvo Principia Ariſtotelis & Empedoclis committit invicem, & Empedoclem multis paraſangis Ariſtoteli anteſtare ſignificat.

In Nomine Domini Jeſu!

Diſp. II. Reſp. JOHANNE GEORGIO LAURENTII.

SECTIO POSTERIOR EXHIBENS SPECIALIA.

Furor eſt, profectò furor egredi ex mundo, & tanqvàm interna ejus cuncta planè jam ſint nota, ita ſcrutari externa, *Plinius* exclamat *Lib. 2. Hiſt. Nat. cap. 1* Monet Sapiens Naturæ Conſultus, ſatis ſuperque operis re-

ſtare exantlandum in accuratâ hujus mundi contemplatione, qvi obverſatur oculis noſtris, nec eſſe temerario quodam impetu plures & innumerabiles mundos alios agitandos animo. Cui dictis audientes nos quoq; non exſpaciabimur vagabundis & ambitioſis cogitationibus ultra mundum extimum, ſed decenter nos intra pelliculam noſtram continebimus, & intra unam hanc amphitheatralem ſphæram, quam Deus & Natura nobis ſiſtit. Eſt nauſeabūdi & faſtidientis ingenii in ſūmâ terrâ, & levi manu veritatem qvæſiviſſe, & vix primo Naturæ limine ſalutato ita ſibi omnem de eâ cognitionem polliceri, ut ſordeſcere paulatim ac vileſcere incipiant, quæ coram pedibus ſunt, malaciâ laboranti ſtomacho & novitatis avido. *At mehercule ſi hoc totis membris premeremus, ſi in hoc juventus ſobria incumberet, hoc majores docerent, hoc minores addiſcerent, vix adundum veniretur.* *Neq;* etiam *omnia Deus humanis oculis nota fecit. Qvota pars operis tanti noſtris oculis committitur? Ipſe qvi ea tractat, qvi condidit, qui totum hoc fundavit, deditq; circa ſe, majorq; eſt pars operis ſui ac melior, effugit oculis, cogitatione viſendus eſt*; quēadmodū præclarè diſſerit Sapiēs Romanorū *Seneca Lib. VII. Natt. qq c. XXXII. & XXX.* Et *c. XXXI. Puſilla res mūdus eſt, niſi in illo qvod qværas omnis mūdus habeat. Non ſemel quædā ſacra tradūtur: Eleuſis ſervat qvod oſtēdat reviſentibus. Rerū natura ſacra ſua nō ſimul tradit. Initiatos nos credimus; in veſtibulo ejus hæremus. Illa arcana nō promiſcuè nec omnibus patent: reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, adſpiciet.* Exerceamur ergò indeſinenter in ſtadio hoc, & digitum Domini veneremur cernui, ex Creaturâ colligentes Creatorem, ex Opificio Opificem. Agemus impræſentiarum, qvod poterimus, & arcana Naturæ ita ſpeculabimur, ut admirabilis Totius cum partibus, & partium cum Toto conſenſus curæ nobis præprimis cordiq; ſit. Sicuti namq; Phrygiones è varii coloris filo unum aliqvod aulæum affabrâ arte elaborare nôrunt, ſic ê mille aliquot particulis uniforme hoc & cohærens corpus Æternus Opifex, qvē *tā bonū architectū, tā prudentē Caſtellariū* laudat Scaliger, *ut Julius Frontinus nihil ad eū Exerc.* XLVI. Hinc conſpirant tacitâ quâdā conſenſionis religione ſupera, infera, prima, media, ultima, & agglutinantur ſibi invicem tenaciſſimè. *Quod eſt inferius, eſt ſicut id qvod eſt ſuperius; & qvod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius*, dicit maximus Rex maximus Sacerdos, maximus Philoſophus, Hermes Triſmegiſtus in Tabulâ ſuâ Smaragdinâ in valle

Ebron post diluvium inventâ. Quæ integra prostat apud DN. D. SENNERTUM *De Chymicor. Conf. & Diss. cap.* III. & novissimè apud *Exc.* DN. SPERLINGIUM, Præceptorem meum Optimum, *Anthropolog. Physic. Proœmio cap. II. Q. II* Nihil aliud intellexit Vir Naturalis Philosophiæ intelligentissimus, quàm Analogiam istam Mundi superioris cum Mundo inferiore, & dissentientem omnium Corporum Naturalium consensum. Ibimus per vestigia sapientum, nec putabimus eos præripuisse nobis, qvæ dici poterant, sed aperuisse. Ut autem aliqvod operæ precium faciamus in Consideratione hâc de Consensu & Dissensu Corporum Naturalium ordine cumprimis progrediemur. Quippe *quo nihil vel in animo, vel in opere sapientis admirabilius est, & sine quo Natura constare non potest*, juxta *Scalig. Ex.* II. Adeoque ne in hâc diffusissimâ materiâ exerremus â viâ regiâ, Naturam ipsam sequemur, tanquam filum quoddam Ariadnæum, & prout ea corpora partim SIMPLICIA, partim MISTA ostentat nobis, ita quoque nostra in utriusque diligenter occupabitur opera. DEUS cœpta prosperet!

CAPUT PRIMUM
DE CONSENSU ET DISSENSU CORPORUM NATURALIUM SIMPLICIUM.

§.1. Quidqvid divite suo sinu complectitur fœcundissima Mater Natura, (complectitur autem mirabilia multa & magna) ad duas commodissimè classes licet redigere, si libet summa sequi fastigia rerum. Prostât in unâ ea corporum, qvæ nativâ suâ gaudent puritate, & omnis ingredientis Elementaris materiei expertia degunt. Prostant in alterâ, qvæ materiâ non tantùm constant, sed & materiæ materiâ, ac eâ qvidem ex aliis diversissimis corporibus conflatâ. Illa vocantur Physicorum Scholis Corpora simplicia, hæc composita sive mista. Simplicia habent qvatuor, Aqvas Supracælestes, Cœlum, Stellas, Elementa. Mistorum numerus ratione nostri est innumerus. Ratione nostri dico, qvorum obtusus & hebes sensus satis se in arcana Naturæ penitrare non potest. Non ratione Dei: eum namq; nihil latet eorum qvæ condidit, sed uno simplicissimo actu intuetur omnia, *Quæ sint, qvæ fuerint, qvæ mox ventura trahantur, Virgil. IV. Georg.* 393. Non item ratione sui: *sunt* enim *finita potestate, qvia pendent â prima: sunt finita Essentiâ*, qvia *unum tantum est infinitum: sunt finita numero, qvia sunt extra unum infinitum: sunt finita qvantitate, qvia non potest excedere*

cedere quantitas substantiam. Duo infinita neqveunt esse neq; in Naturâ, neq; extra Naturam. Essent enim duo principia prima, scribit notanter *Scaliger Ex.* CCCLIX. 3. Missa in præsens faciemus Mista hæc Corpora, & in simplicibus contemplabimur studiosè Consensum & Dissensum tùm inter se mutuũ, tùm cum aliis Corporibus Naturalibus.

§. 2. AQUAS SUPRACOELESTES monstrat nobis Scripturæ Liber, non Naturæ. Caligat post lapsum nycticoracis adinstar mens hominis non in cœlestibus tantum & spiritualibus, sed & non minùs in naturalibus. *Multa abscondita sunt majora istis*, (Sole, Lunâ, Stellis, Iride, Nive, Grandine, Glacie) *paucissima ex Operibus Domini à nobis cognoscuntur*, inquit Operum Domini studiosus Contemplator Ecclesiasticus cap. XLIII, 36. Et in eandem finem Seneca *Lib. VII. Nat. qq. c. XXX. Qvàm multa præter hos* (Cometas) *per secretum eunt, nunqvam humanis oculis orientia? Neq; enim omnia Deus humanis oculis nota facit.* Opitulatur hîc non rarenter imbecillitati humanæ misericors & miserator Deus, & Solẽ Scripturæ mutuatur Lunæ Naturæ Pater Luminũ. Veneramur meritò & grato pectore accepramus divinam informationem, digni tanto honore tantâq; reperti felicitate, ut & initium nobis & finis Operum naturalium eruditionis à voce principali procedat Creatoris Optimi Maximi. Quia tamen paucissima sunt, quæ de cœlesti hoc Oceano revelavit nobis Sanctus Spiritus, brevia duntaxat & levia de eo licebit in mediam arenam pulveremq; producere. *Humanæ Sapientiæ pars est, qvædam æquo animo nescire velle*, ex rarâ modestiâ scribit *Scaliger Exerc.* CCCVII 29.

§. 3. Qvod si qvid de iis enunciandum, qvantum ad materiam nostram attinet, hoc gerimus sub pectore. Consentiunt Aquæ supracœlestes inter se invicem, & amicitiam fovent. Hinc adhæret pars parti, gutta guttæ complexu mutuo, & totum conservatur in esse suo. Consentiunt etiam sive dissentiunt cum Corporibus aliis Naturalibus. Influxum qvippe mundi superioris in mundum inferiorem nec negat qvispiam, & res ipsa loquitur. Quidni ergò his etiam Aqvis adscribamus occultam qvandam influentiam in inferiora hæc? Optimus & industrius Paterfamilias est Gloriosus Deus, qui patentissimam suam Domum, Natúram, non patitur segni torpescere ocio, sed exercet perenni opere. Labor improbus omnia versat. Ex quo fundamento ipse Aristoteles sapientissimè differit *l. 2. de cœlo cap. 3. t. 17. Unumqvodq; est*

est propter suam operationem: alioqui frustrà esset. Ad quem locum Conimbricenses Patres ita *Quæst.2.art.1. Si cœlum Empyreum nihil influeret, non esset pars universi, quod absurdum est. Omnes partes universi habent inter se connexionem, & tanquam ejusdem Corporis membra in quandam ordinis unitatem conspirant, teste Aristotele 12. Met. c. 10. t. 52.* Optimā rationem dant rei prorsus fictitiæ & commentitiæ. Empyréum illud ociosorum Monachorum cœlum nec Scriptura novit, nec Natura. Non entis ergo nullæ affectiones, nullæ effectiones. Interibi tamē argumento allato nihil decedit roboris, sed validissimè militat pro omnibus Corporibus Naturalibus. Forma tria dat ubiq; cuivis rei, esse, distingui, operari. Hæc autem operatio & influxus certas prærequirit Qualitates, â quibus oriatur. Effectus enim semper testatur de suâ causâ. Qualitates illæ quia modò similes, modò dissimiles, hinc modò Consensus, modò Dissensus. Fundamentum amoris & odii qualitas, & quæ istam indivulso nexu comitatur, similitudo ac dissimilitudo. Ulterior disquisitio morosi atque satagentis animi est. *Multa sunt, quæ esse concedimus, qualia sint, ignoramus*, scribit *Seneca lib. VII. Natt. qq. cap. XXIV.*

§. 4. Nunc COELUM ad se nos vocat proximè, & incredibiles sui ardores in nobis excitat. Scimus enim illud ad nos pertinere, & tū demùm despicimus domicilii terrestris angustias, cùm suspicimus Patriæ cœlestis ingentia spatia. *Hoc habet argumentum divinitatis suæ animus*, disserit Seneca *Præfat. Lib. 1. Natt. qq. quod illum divina delectāt, nec ut alienis interest, sed ut suis. Securè spectat occasûs siderum atq; ortûs, ET TAM DIVERSAS CONCORDANTIUM VIAS.* Dolendum & hîc ac ingeminandum, scientiam nostram esse umbram in sole, & maximum eorum quæ scimus, esse minimum eorum, quæ nescimus. Vix ea videmus quæ ante pedes sunt, ad sublimia autem erigimur perrarò, & hoc quidem non nisi cum torpore quodam & veterno. Excutiendus iste nobis est, & elevandus paulatim humanus animus â cōcretione feculentâ, dum cœlestia meditatur. *Ea est cœli præstantia atq; nobilitas, ut vel rudis & imperfecta ipsius cognitio expetibilior sit, quàm exquisita & perfecta aliarum rerum ignobiliorum*, asserit ex Aristotele *Zabarella sub initium L. De Naturâ cœli.* Dicimus ergò quod sentimus. Datur Consensus in cœlo secum mutuus: datur & Consensus ac Dissensus cum inferioribus. *Prius* illud cùm satis superque constet ex di-

 utinā

utinâ isthâc vastissimi hujus Corporis conservatione, qvæ absq; cōcordiâ nullibi fit, tùm inprimis evincitur à nobis ex Figurâ ipsius circulari & globosâ. Malo eloqvi totam rem pulcerrimis verbis Optimi mei Præceptoris, CL. SPERLINGII *Inst. Phys. Lib. III. cap. III. extr.* ubi ita habet: *Cœli Figura rotunda est. Hæc enim unioni ac conjunctioni quàm maximè accommoda. Raptus similium non in Elementari solùm viget orbe, sed & in cœlesti. Viget autem ita, ut in orbem se cogant. Aqvæ guttulæ in orbem se volvunt, ob sui amorem. Ignis in unum se cogit, si quoddam naturæ inimicum præsentit. Multò magis cœlum simplicissimum & ad disjunctionem violentam aptissimum, intra eosdem sese coercebit cancellos. Amor conjungit: odium disjungit.* Et fortassis Summus Pythagoras hoc ipsum voluit concentu & Musicâ suâ svavissimâ, qvam in astris dari docuit. *Cœlestem namq; sonum non fortuitum aut inconditum esse, sed ad harmoniæ rationem temperatum inde probabat, qvod in cœlo nihil tumultuarium fit, sed omnia divinis legibus & ratâ atq; æqvabili ratione procedant*, explicantibus ita *Conimbricensibus in lib. 1. de cœlo cap. 3. Q. 1. p. 354. Posterius* hoc ex influxu ejusdem in hæc subcœlestia colligitur invictissimè, qvi non fit nisi mediantibus Qvalitatibus, modò amicis, modò inimicis. *Averroes* ait *in Comm. 17. l. 1. de cœlo* apud *Zabarellam* De *motu Ignis in orbem cap. V. p. m 295. Gubernare inferiorem mundum est finis cœlestium corporum.* Et *Aristoteles* ipse *Meteorolog. l. 1. c. 2.* Ἔστι δ' ἐξ ἀνάγκης συνεχὴς πως οὗτος ταῖς ἄνω φοραῖς, ὥς πᾶσαν αὐτοῦ τὴν δύναμιν κυβερνᾶσθαι ἐκεῖθεν: *Est autem necessariò mundus iste superis lationibus* (transeat falsa Hypothesis) *ferè continuus, ut inde vis ejus universa regatur.* Qvorsum & facit autoritas Platonis in Theæteto, ubi per catenā auream Homeri Iliad. 8. significari credit nexum & dependentiamve inferioris mundi à cœlesti, potissimumq; à motu Solis. *Nihil aliud*, inqvit, *per catenam, qvàm Solem Homerus intelligit: qvia qvousq; Solis circuitus perseverat, omnia tàm Deorum qvàm hominum sunt atq; servantur. Si autem hoc qvasi legatum staret, confestim omnia dissolverentur, eveniretq; qvod dicitur, sursum deorsum omnia*: allegantibus *Conimbric. in Lib. 2. de cœlo cap. 2. Q. 4. art. 1.*

§. 5. Spectavimus Cœlum hactenus: spectabimus nunc qvoqve formosi domicilij formosiores Incolas, STELLAS dico. Etiam in istis datur Concordia & Dissensus mutuus. Qvod jam tum agnovit ipse Empedocles, qvi (*concordiam & litem docuit reperiri inelementis per*

qvali-

qualitates sibi oppositas dissidentes & consentientes, ac etiam in ipso cœlo, uti Jupiter & Venus Planetas omnes diligunt, præter Martem & Saturnum; Venus amica Marti, cui Planeta ceteri adversantur, recensente sic *Joh. Bapt. Portâ Lib. 1. Mag. Nat. c. 4.* Qui ibidem addit: *Flagrant odio signa, & amicitia nexu convinciuntur, ut canit Manilius:*

Quin etiam propriis inter se legibus astra
Conveniunt, & certa gerunt commercia rerum,
Inque vicem præstant visus, atque auribus hærent:
Aut odium, fœdusque gerunt, conversaque quædam
In semet proprio ducuntur plena furore.

Astrologi in Prædictionibus suis formant peculiare Caput de Nati Amicis & Inimicis. Ubi cumprimis dicunt attendendum esse ad stellas amicas vel inimicas. Evolvatur Orion Silesiæ Nostræ *Origanus Tom. 1. Ephemerid. Part. III. cap. XXI. & XXII.* Rectè nè an ne-rectè fiat hæc collectio, nunc nihil definio. Fundamentum tantùm ipsorum assumo & pro me cito. Præsupponunt utique in astris ipsis pacem & bellum, fœdera & litigia, similitudinem & dissimilitudinem, quâ modò prosequuntur se amicabili favore, modò persequuntur se hostili fervore. Unde proporrò etiam Adspectûs suos habent nunc faustos & benignos, puta Sextilem, Trigonum & Conjunctionem, nunc infaustos & malignos, nempè Quadratum & Oppositionem. Certissimè hic non subest mera hypothesis, sed vera res. Non hæc sunt Entia Intentionalia & Rationis, qualia aliàs in Mathesi dantur: v. g. Primum Mobile, Meridianus & Æquator, Coluri & Tropici, Caput & Cauda Draconis, Pars Fortunæ, Antiscia, & talia: sed Realia & Naturalia. Unde quod suarum partium est, facit Physicus, cùm ea considerat. Cedro digna verba hanc in rem exstant EXC. Physici Nostri SPERLINGII *Dissertat de Principiis Corporis Naturalis Cap. IV. p. 128. De Stellis illud cumprimis dicimus. Ex lite & amicitia mundus est. Non in mundo inferiori saltem bella ac duella vigent, sed in ipso quoque superiori mundo unum est contra duo, & duo contra unum. Ipsæ stellæ radiis suis sibi invicem occurrunt, se mutuò collidunt, & incursiones mutuas faciunt. Neque radiis tantùm, sed & aliis qualitatibus & inimicis adspectibus sibi invicem resistunt.*

§. 6. Clarius autem hoc evadit & manifestius ex Influentia Stellarum in Sublunaria hæc, quæ frequentissima & efficacissima, nec nisi

 per

per Qualitates diversas, & non rarò contrarias potest peragi. Contactus qvippe ubiq; necessarius est, si non Corporalis, certè Virtualis. Qvæcunq; fiunt sub Lunâ mutationes aëris ac agitationes, incitantur potenter & excitantur à flabellis istis sidereis. Adeò ut non videatur improbabile, si præteritorum seculorum Astrologi Stellarum virtutes paulò accuratiùs pensiculâssent, uno tamen oculo semper ad terrâ conversi, qvod hodie, magis magisq; in dies auctis observationibus, uniuscujusq; diei tempestas infallibiliter à nobis possit prædici. Extrahunt indesinenter peculiares stellæ peculiaria effluvia ex terris & aqvis, nunc calida, nunc frigida, nunc sicca, nunc humida, nunc nitrosa, nunc sulfurea. Hinc nostrum cœlum modò sudum, modò udum, modò defecatum, modò turbulentum est. Stellas spirituosas venti seqvuntur. Stellæ malignæ maligna elicîant & pestem faciunt: stellæ benignæ purgant aërem, & halitûs venenosos disjiciunt. Memorabiliter *Scaliger Ex. XVIII.* *Non calorem solum à cælo deduco, sicut Avenrois & alij: sed & ab Orione atq; præsepibus humorem: sicut æstum à caniculâ.* Sol exoriens cum Arcturo affert ventos & tempestates, cum Asellis subitam aëris perturbationem, imbres, tonitrua ac fulgura, cum Aurigæ humero dextro ventos, cum Cane majore serenitatem & calorem, cum Sirio maris æstum, cum Capite Medusæ nivē, cū Oculo tauri pluviā, cū Plejadibus & Hyadibus ventos, nimbos, nebulas, cum Suculis pluvias. Hinc Aprilis mensis qvovis anno tàm variis tempestatibus obnoxius est, qvia tùm temporis Sol ad Plejadum & Sucularum inconstantia & pluviosa sidera festinat, qvæ in dorso ac facie tauri visuntur. Jam verò propter qvod unumqvodq; tale est, illud magis tale est. *Et necesse est omne tale per aliud reduci ad aliqvod per se tale, & illud est per se tale per qvod alia sunt talia,* uti eruditè disserit *acutissimus verèq; Philosophus,* (elogio *Bassonis lib 1. de Formâ Intent. 1.*) *Zabarella L. 1. de Primâ rerum materiâ cap. 11 p. m. 161.* Qvod si ergò propter stellas tàm diversas excitat tempestates Imperator siderum, ipsæ multò magis hoc præstabunt principaliter. Et præstabunt qvidem beneficio Qvalitatum qvarundam occultarum, nunc similium, nunc dissimilium. Hinc *Virgilio nimbosus Orion* dicitur *l. 1 Æneid. v. 539.* Et de Arcturo ita *Plinius L. 2 cap. 39. Arcturi sidus non fermè sine procellosa grandine exergit.* De Caniculâ autem *cap. 40. Caniculæ exortu accendi Solis vapores qvis ignorat? cujus sideris effectûs amplissimi in terra sentiuntur: fervent maria exoriente eo: fluctuant in cellis vina,*

lis vina, moventur stagna. Canes qvidem toto eo spacio maximè in rabiem agi non est dubium.

§. 6. Sed progrediamur ulterius. Ægyptus terra expers est omnium imbrium, fœcundissima tamen, & felicissima hominum brutorumqve generatrix. Nilus id efficit, *ibi coloni vice fungens*, uti *Plinius* loqvitur lib. 8. cap. 15. *qui bis in anno* (verba sunt *Cluverij Introduct. in Geograph. lib. VI. c. 3. p. 195.*) *certis diebus auctu magno per totam spaciatus regionem fœcundus innatat terris.* *Seneca* de eo ita *l. 4. Natt. qq. cap. 2. Hunc nobilissimum amnem Natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, ut eo tempore inundaret Ægyptum, qvo maximè usta fervoribus terra undam altiùs traheret, tantum haustura, qvantum siccitati annuæ sufficere possit.* Stellæ qvoq; hîc in causâ sunt, qvæ impediunt pluvias. Hinc & *à Nilo nulla exhalat aura, qvia vapores consumuntur* (puta à sideribus arefacientibus) qvæ neqvaqvam est *ignava opinio* Cardani, uti qvidem Scaligero audit *Exerc.* XLVIII. Unde conseqvitur, Grandinem illam qvam super Ægyptum Divinus Legifer Moses inducebat Exodi IX. 23. & seqq. naturalem neutiqvam, sed planè miraculosam fuisse. Idem esto judicium de Rhodo Insulâ, in qvâ nulla nubes unqvam. Solinus scribit cap. 21. Nunqvam cœlum ita nubilum est, ut in Sole Rhodos non sit. Hinc Horatius vocat claram Rhodon lib 1. Carm. Odâ 7 Anaxagoram Clazomenium refert Plinius lib 2. H. N. c 60. *prædixisse cœlestium literarum scientiâ, qvibus diebus saxum casurum esset e sole.* E nube forsitan dixit Anaxagoras. Et Lib. 1[illegible]. cap. [illegible]8 de Democrito memorat, qvod *primus intellexerit ostenderitq; cum terris c[illegible] atem, & sperrentibus hanc curam ejus opulentissimis civibus, prævisâ olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, propter spem olivæ coëmerit in toto tractu omne oleum, mirantibus qvi paupertatem & qvietem doctrinarum ei sciebant imprimis cordi esse, atqve ut apparuit causa & ingens divitiarum census, restituerit mercedem anxiæ & avidæ Dominorum pœnitentiæ, contentus ita probasse, opes sibi cum vellet, in facili fore.* Scilicet Stellarum naturas habuerunt examussim cognitas Summi hi Duumviri, & qvæ aliis videbantur ostenta & prodigia, eorum naturales causas domi suæ tenebant exactissimè.

§. 5. SOL sistatur nobis ob oculos, *Dux & princeps & moderator luminum reliqvorum, mens mundi & temperatio,* Encomio Tullij Somnio

Scip. Quàm multa, qvàm mira præstat Oculus hic mundi in toto mundo! Totum Tetrachordon anni (ita qvatuor anni tempora eleganter nominat *Varro* apud Nonium cap. 2. & 3. & post eum Deliciæ qvondam Academiæ Nostræ, Ingeniosissimus *Taubmanus Schediasmatis Poëticis* p. 563) huic unicè acceptum ferendum est. Et receptissimum hoc sonat Dicteriũ apud Aristotelem & Aristotelicos: Sol & Homo generat Hominem. Addimus nos: Etiam Sol & rana generat ranam, etiam Sol & mus generat murem, etiam Sol & scarabæꝰ generat scarabæũ. Cõmuni favore concurrit cœlũ & universus siderũ exercitus ad generationẽ Corporum Naturaliũ: at particulares & determinatas causas tantùm abest, ut excludat, qvin potius includat. Hieme rigent ac frigent omnia, & emortua qvasi langvescunt. Ast *ubi pulsam hiemem Sol aureus egit Sub terras, cœlumq; æstivâ luce reclusit*, *Virgil. IV. Georg.* 59. rediviva qvasi universa novas auras, novas vires hauriunt, & autorem ac datorem vitæ suæ Solem tripudiatore vultu intuentur. Ubi demiranda Supremi Numinis Providentia, qvæ obliqvo tramite Solem voluit incedere, & modò ad Austrum, modò ad Aqvilonem declinare, metis tamen inter utrumq; Tropicorum fixis constantissimis. Ne scilicet, si in corde cœli semper versaretur, terræ magis remotæ æternis damnarentur tenebris & perpetuo gelu obrigescerent, magis autem admotæ nimio calore penitùs exurerentur. Qvod *Maro* diligenter consideravit, & eleganter extulit *II. Georg.* 343. cùm cecinit:

Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta qvies iret frigusq; caloremq;
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.

§. 9. Prisci qvidem Philosophi docebant, Solem & astra cætera ideò calefacere inferiora hæc, qvia formaliter essent calida & ignea. Qvos adducit *Franciscus Patricius Panavgia Lib. VII.* & *Pancosmia Libro XV.* qvi & ipse ibidem statuit, sidera esse totos ignes. Facit cum eo *Sebastianus Basso Lib. 2. de cœlo art. 2*, scribens: *Sol à fronte & à tergo, & qvoqvoversùm suos radios seu potiùs ingentia ignium maria diffundit continuè.* Et *art. 4. Cùm minima Stellarum fixarum qvæ videtur, globo terrestri major censeatur, qvantos putat esse ignes omnes illos, qvos continuè stella qvævis eructat? sanè mare igneũ orbe terrestri majꝰ ex stellis exire necesse est.* Hos imitari lubido si foret, facile pateret ratio tantæ Solis efficaciæ

in hæc

in hæc sublunaria. Ignis scilicet ad ignem tenderet, & calidum calido junctum produceret æstum æstatis intensissimum. Ast obstare videntur adhuc non exigua, qvò minus in scamna ipsorum concedamus. Extra dubium namq; hâc ratione dudum defecisset Sol & omnis siderum exercitus, si tot qvot momentis corpuscula inde ad nos projicerentur. Etiam magis Sol calefaceret in hieme, ubi propinqvior nobis est, & in perigæo constitutus, qvàm æstate, ubi remotior est â nobis, & in apogæo vel auge, uti loqvi amant Astronomi. Qvid? qvod media aeris regio tanqvam Soli propinqvior, magis calefieret qvàm hæc infima, qvæ remotior est: qvod eruditè urget *Zabarella L. de Calore cœlesti cap. 1.* Etiam nives in editissimis montibus non perdurarent tanto temporis spacio, sed facillimè colliqvescerent ob præsentiam igniculorum circumqvàq; dispersorum. Qvas ob causas ista Veterum Sententia nondum â nobis calculum sibi nostrum impetrat. Nihilò tamen minus adhuc stat consensus Solis cum igne nostrate, cadat licet hæc Hypothesis. Non eget mendaciis veritas, sed micat satis proprio suo jubare, & in lucem venit sæpè non qvæsita. Extrahit Sol effluvia ignea ex terris & aqvis, omnibusq; mistis, & ita calefactionis autor est. Cum istis igniculis radii Solares fovent amicitiam peculiarem, hinc ubi radii, ibi calor. Et prout radij illi vel recti sunt, vel obliqvi, vel fusi, vel refracti, ita & calor ipse variat. In speculis ustoriis colliguntur ac uniuntur radij Solares, & cum iis igniculi, adeò ut & flamma prorumpat. Eo artificio usus Archimedes Syracusanus triremes hostium incendit. Et Zonaras in Vitâ Anastasij refert, Proclum Mathematicum suspensis speculis æneis è muro Constantinopolitano ignē instar fulminis emisisse in hostium classem. Videatur pluribus de speculis comburentibus *Job. Bapt. Porta lib. 17. Magiæ cap. 14. & seqq.* Vina citiùs maturantur, qvæ parietibus alligata hærent, qvā qvæ libero exponuntur aëri. Duplicantur enim & repercutiuntur radij Solares, & cum iis intenduntur pariter assectæ ipsorum perpetui, igniculi. Omnia *ex cognatione Naturæ & qvasi concentu atq; consensu*, uti *Cicero* loqvitur *lib. 2. de Divinat.*

§ 10. Nec minor minori Luminari LUNÆ vis concessa in terras â Luce Luminum Glorioso Deo. *Novissimum hoc sidus est, terrisq; familiarissimum, & in tenebrarum remedium à Naturâ repertum: qvod multiformi ambage torsit ingenia contemplantium, & proximum*

ximum ignorari fidus maximè indignantium, dicente *Plinio l. 2. H. N. c. 9.* *Fr. Michaël Zanardus*, Ordinis Prædicatorum, virtutes ejus hoc recenset ordine *Universi Cælestis Part. II. Dub. XLIV. p. 105. Luna est primò sui luminis mutuativa, secundò triplicis status ostensiva, tertiò omnium humorum augmentativa, qvartò aqvarum maris attractiva, qvintò roris in aëre generativa, sextò inter Planetas brevissimo tempore sui cursûs completiva, septimò per Eclipsin sui luminis privationẽ passiva, octavo mutationis tẽporum significativa, nonò terræ fœcunditatis subministrativa, decimò aëris mundificativa, undecimò supra corpus humanũ omniũ Astrologorũ consensu maximè potestativa.* Ita pro moro suo more tã svaves sibi delicias facit cũ Homœoteleutis suis horridus Monachus, ut Rhetoricæ studẽs plus nimio, ipsam fermè perdat Grammaticã & omnem Latinitatem. Nostrum erit omnia probare & qvod bonum retinere. Virgilius mirantibus amicis & sciscitantibus, quid Ennii lectioni tantoperè vacaret, rudis & obsoleti Poëtæ, subjiciebat, ex stercore se gemmas legere. Idem factitandum nobis hîc, & margaritæ cœno quodam conspurcatæ, si non auro intexendæ, saltẽ nec proculcandæ, sed eluendæ sunt. Est omninò manetq; Humorum Domina hæc bicornis Regina siderũ. Cum aqvis & undis habet consensum intimum, & hinc cum iis uniri gestit proximè. Juxta *Scaligeri* illa aurea *Exerc. CCCX. Qvæ duo sunt atq; unum esse qveunt, appetunt esse unum. Hoc enim est eorum esse verum. Amans cum amatâ re unum esse, qvoad licet, appetit. Qvocirca & hærent, & corpora conferunt, & Spiritûs duos osculorum conjunctione unus ut fit, faciunt. Id qvod Amoris fundamentum cùm putarent esse veteres sapientes, basium Græcâ voce nominârunt.* Lunâ crescente crescunt humores corporum, & medullæ ossium, decrescente minuuntur & exhauriuntur. Lilia ac rosæ tantùm noctu dehiscunt, & calyces suos aperiunt. Cancrorum & ostrearum carnes svaviores & succipleniores sunt Lunâ crescente, decrescente decrescunt eædem, & omnem perdunt gratiam. Unde *Plinius lib. 2. Hist. Nat. cap. 41. Jam qvidem lunari potestate ostrearum conchyliorumq; & concharum omniũ corpora augeri & rursus minui, & soricum fibras respondere numero Lunæ, exqvisivere diligentiores: minimumq; animal formicam sentire vires sideris, interlunio semper cessare. Qvò turpior homini inscitia est fatenti præcipuè jumentorum qvorundam in oculis morbos cum Lunâ increscere ac minui.*

Et *cap.*

Et *cap.* 102. *Sidus Lunæ est quod terras saturet, accedensq; corpora impleat, abscedensq; inaniat. Ideo cu incremento ejus augeri conchylia, & maximè Spiritum sentire, quibus sanguis non sit: sed & sanguinem hominum etiam cum lumine ejus augeri ac minui.*

§. 11. Neq: abs re huc refertur Periodica ista excretio sanguinis menstrui in mulieribus. Juxta versum: *Luna vetus vetulas, juvenes nova Luna repurgat.* Inde *Plinius lib. 2. Hist. Nat c. 104. Lunæ fœmineum ac molle sidus vocat.* Cui loco clarando insigniter facit iste *Aristoteles Lib. 7. de Historiâ animal. cap. 2. Profluvium mensium decrescente Luna contingit: quam ob rem nonnulli cavillo sexum fœmineum Lunæ tribuunt, quoniam simul ut illa decrescat, & mulier purgetur, moxq; repleantur ambæ, eveniat.* Sic infans qui in novilunio nascitur, infirmior & debilior est eo, qui in plenilunio in lucem editur. Quemadmodum & ova gallinis interlunii tempore supposita pullos producunt imbecilles, exsuccos & minùs vitales. Plenilunio ablactantur Infantes à Matribus, quia cum copiosiùs ipsis humores suppetant, minus egent nutrimento materno. Senibus dicitur communi verbo Calendarium in capite repositum. Quia scilicet Lunæ vires in Noviluniis præsertim accuratissimè præsentiscere & prædicere possunt. Tum enim temporis Luna crescere incipit & vires paulatim majores colligit, unde pituitæ plurimum & excrementitii humoris in ipsis generatur, & destillationibus ac catarrhis innumeris largissima materies subministratur. Qui Lunæ cubant expositi noctu, notantur gravedine capitis, & catarrhis infestantur. Quàm mira præstent Noctambulones, edisserit peculiari Tractatu excellentissimus Medicus Jacobus Horstius. Causa stat penes Lunam & Phantasiam. *Zanardus* habet *Universi Cœlestis Part. II Dub. LVI. p. 76. Luna fluxum & refluxum maris causat, lunariam herbam mutat; & Commentator refert; in Ægypto fuisse Taurum sacrum, cujus genitalia pro Lunæ mutatione augebantur & diminuebantur; & Cardanus asserit in Quadripartitum Ptolomei, Leonem X. tenuisse lapidem, qui pro varietate luminis & influxus Lunæ ex cæruleo in candidum transibat, & Clementem VII. alterum, cujus macula juxta Solis motum singulo die circumacta oriebatur & occidebat. Patet etiam, quod omnia humida in plenilunio augentur, & macula existens in dorso pantheræ, secundum quam Luna crescit & decrescit, hoc idem facit. Plutarchus* quærit *Sympossiacon Lib. 3. Q. 10.*

 Cur

Cur carnes magis sub Lunam putrescant, quàm sub Solem? Et respondet: *Lunam sensim tepefaciendo humectare corpora, Solem igneo suo fervore potiùs eripere humorem è corporibus* Dicimus nos, potestate Lunæ humiditatem in carnibus magis magisq; augeri, & calorem superari ac ejici. Unde fataliter sequitur ἀσυμμετρία illa & indispositio. *Plinius* scribit *Lib. 18. cap. 32. Omnia quæ caduntur, carpuntur, tondentur, innocentiùs decrescente Lunâ quam crescente fiunt.* Quod confirmat *Plutarchus l. c.* inquiens: *Ligna in plenilunio cæsa fabri abjiciunt, utpote tenera & facilè flaccescentia propter humorem: & triticum coloni properant mense deficiente in horrea convehere, ut siccatum sit terendo aptius.* Oceani, communis aquarum Thesauri, marinus æstus, seu fluxus & refluxus, quovis tempore miris modis agitavit & fatigavit Eruditorum ingenia. Acutissimus *Scaliger* ita eam in Tractationem prooemiatur *Exerc. LII. Fortasse magis conducebat ad opinionem bonæ existimationis silentium, quàm audacia. Nam quod ubiq; clamare soleo, nos nihil scire: maximè convenit huic disquisitioni, quæ maris tractat motum.* Nos præter internum motûs principium cumprimis externam Caussam facimus Lunæ accessum vel recessum diversimodum: secuti Celeberrimum SPERLING. *Inst. Phys. Lib IV. c. III. Q. V.* Dies Critici apud Medicorum Filios in maximâ sunt observantiâ. Luna scilicet septimo quovis die ad signum defertur, quod naturæ illius est contrarium, â quo erat egressa. Hinc tot mutationes circa Quartas illas Lunæ in sanis pariter & ægrotantibus. *Peucerus* hâc de re pulcra habet in *De Divinationibus p. 384. a.* Quantumvis hîc in diversas partes abeat *Fracastorius De Caussis Criticorum Dierum cap. IV.* Et quis omnes Naturæ abyssos exhauriat? Referrem huc etiam Coronidis loco admirabilem illum & stupore plenum Consensum Lunæ in Themate Conceptionis cum Themate Nativitatis, quam Trutinam Hermetis vocant Astrologi. At verendû mihi, ut falcem in alienam messem mittere videar, & ingratiis Excellentissimorum Dnn. Mathematicorum hoc amplius diducere. Et pro his ipsis jam tùm veniam petendam mihi video, quod extra oleas nonnihil sim evagatus. Adeatur interim *Origanus Tomo I. Ephemerid. Part. II p. 371. & Junctinus in Ptolomæi De Astror. Judiciis Libr. 3. c. 2. p. 131. & p. 236.* ubi hoc *miraculi loco considerandum* esse monet. Novissimè autem nervosè ac methodicè universum hoc negotium executus est Celeberrimus

Acade-

Academiæ Nostræ Physiognomon & Astrologus, Dn. POMPEJUS, P. P. Præceptor & Fautor meus Summus, *Physiognomiæ sua Anthropologicæ Part. III. Sect. II. cap. VI.*

§. 12. Deferimur ex augustâ Stellarum Regiâ in amœnum ELEMENTORUM palatium. O quàm sancta hic & innocua oblectamenta capit contemplator animus! At prohibeor ob pagellarum angustiam ulterius me diffundere, & adstringor præstitutæ brevitati meritò ob leges Amplissimi Nostri Collegii Philosophici. Quibus parere, libertas mihi.

DISPUTATIO III.
DE CONSENSU ET DISSENSU CORPORUM NATURALIUM.

Resp. GEORGIUS Roßteuscher / Winsh. Franc.

AEdificium exstruxit in principio temporis spaciosum ac speciosum valde Principium sine Principio, & Causa sine Causâ, Gloriosus Universi conditor. MUNDI nomen ab ornatu convenienter habet apud Latinos pariter & Græcos. Exornavit enim ipsum ubiq; elegantibus tapetibus & tessellatis Emblematibus divinus Archi-tectus, sapiens perinde ac potens. Quod unâ die fecit dextra Domini, alterâ perfecit, quam semel Domum construxit, postidhac incolis pulcerrimis instruxit. Et quod præprimis unicè in stuporem universos conjicit, tàm elaboratâ curâ conglutinavit omnia, supera, media, infera, ut ordinis vel maximè rationem habuisse videretur omnis boni ordinis autor ac fautor. Admiratur tàm concatenatam domicilii hujus nexum, & vinculum plusquàm Vulcanium *Piccolomineus cap. 10. Lib. de mundo*, quando sic discurrit: *Mirari profectò sublimia ingenia possint, quâ ratione, cujus munere, & qua virtute valet mundus esse unus, cum in eo inveniantur partim pugnantia, ut contraria, partim distincta genere, ut attineant ad varia Prædicamenta, partim etiam distincta plusquàm genere, ut æterna ac mortalia, & præsertim quia unum numero est maxime unum, ea autem valdè multa & distincta, nec apparet, quid ea detineat, ne secernantur: ut ratio admirationis est conspicua, ita apprimè latet, & obscura est causa, per quam proximè mundus sit unus.* Ambages ire quem juvat, ipsum adeat, & multiplices eam in rem Philosophorum pugnas audiat. Nos causam ponimus uno verbo in consensu Mundi superi-

oris cum Mundo inferiore. *Ita namq; summa imis, ima summis, singula singulis copulavit manus Altissimi, ut ne minimam quidem Vacuo reliquerit rimulam. Omnia etiam tantâ disposuit sapientiâ, ut mira passim fulgeat agentium & patientium similitudo ac dissimilitudo*, præclare scribit Præclariss. SPERLING. INST. LIB. IX. *Anacephal. ad prac. 3. & 4. Concors atq; consentiens Natura sibi rerū omniū tùm superiorū tùm nostratiū connexionē admirabili serie hâc, quâ totū hoc unū est, perpetuâ necessitudine conjungit. Ita ut non solùm sint in rebus tanquam gradûs, aditûs, recessûs, separatis, verum etiam earum quæ sejuncta penitùs videntur, substantiarum commistiones*, disserit in Magneticâ controversiâ *Scaliger Ex. LXXXI. 1. Si vacuum daretur inter corpora superiora & inferiora* (ait *Keckermannus Syst. Phys. Lib. VII.*) *accidens de subjecto non posset migrare in aliud subjectum, scilicet sine interveniente aëre. Ita exempli gratia si inter superiores mundi plagas & hanc terram daretur vacuum, hoc est, si aër non esset, calor Solis interciperetur, inq; illo vacuo periret, ne posset ad sublunaria, hoc est, in terram demitti, atq; ita frigore peritura essent corpora mundana omnia. Primus communis rebus omnibus, & admirandus est istius universi consensus*, (disserit *Fracastorius de Symp. & Ant. cap. II.*) *in quo quæ sunt corpora, ita omnia invicem connexa, ita hærentia esse volunt, ut nulla potentia sit, quæ eorum extrema, quibus sese mutuo tangunt, sejungere prorsùs possit, atq; ita separare, ut vacuus locus intercidat. Mira profectò res est hâc de causâ gravia sursum trahi, levia deorsum, contraria, quæ sese pellere, atq; etiam interimere solent, nolle tamen sejungi: tantus est Consensus ille rerum omnium in universo.* Hinc fluit illud, quod *Hermes* ponit in frontispicio Tabulæ suæ Smaragdinæ: *Verum sine mendacio, certum & verissimum. Quod est inferius, est sicut quod est superius: & quod est superius est sicut quod est inferius* Et *Proclus* etiã, vetus Platonicꝰ, Libro *de sacrificio & Magia* dicit: *Philosophi cùm considerarent in rebus naturalibus cognationē quandã, & mutuum nexum aliorum ad alia, & manifestorum ad vires occultas, & cuncta in cunctis invenirent, Magiam condiderunt, agnoverunt & in infimis suprema, & in supremis infima, in cœlo quidē terrena non proprie, sed secundum causã, modoq; cœlesti, in inferioribꝰ verò cœlestia, sed modo terrestri.* Non ergò sparsas dare res voluit Creator Opt. Max. sed ne diffluerēt, & esset, quod dicitur, arena sine calce, eas inter se haut indecente vinculo aut interno velut cæmento quodã commisit corporũ superiorum & inferiorũ. Contigua

sunt

ſunt omnia univerſa, licet non continua. Hoc eſt iſtud unitatis vinculum, quod res tàm inimicas, tàm capitali odio disſidentes poteſt connectere. Hinc eſt iſta *diſtantium rerum cognatio naturalis*, quam *Cicero* contemplatur *2. de Divin.* Ut verisſimè *Heraclitus* olim pronunciaverit, *ex rebus disſimilibus pulcerrimum concentum exſiſtere, & ex diſcordiâ naſci omnia*, apud *Ariſtotelem l. 8. Ethicor. Nicomach. c. 2.* Et apud *Laertium lib. 9.* ita introducitur: *Criſpa & minimè criſpa una vinxeris, conſentiens & diſſentiens, conſonans & diſſonans, unum etiam ex omnibus, omniaq; ex uno.* Levavimus hactenus nos pernici mentis remigio in ſublime, & Superiorem Mundum ſpeculati ſumus curiosâ indagine. Non obſtitit nobis intercapedo locorum, non præſtrinxit oculos ſplendor Solis & fulgor aſtrorum, non ſufflaminavit nos rapidisſimus ſiderum curſus. Sed omnia proſcindens ac perrumpens conſiderator animus penetravit ſe usq; ad poſtremum corpus, & irretorto lumine cuncta contemplatus luſtravit, non ut transfuga, ſed ut explorator. Adſpiret nobis felices animos Mundi Anima, miſerator & miſericors Dominus, ut Inferiorem quoq; mundum, & in eo ELEMENTA primùm, gemino ardore perſequi nobis itidem liceat. Ejus enim ſolius Gloriæ velificatur omnis noſtra opera. Ei Phyſici tot exſtruunt aras, quot exarant libros, tot cantant hymnos, quot movent diſcursus, tot ferunt libamina, quot edunt volumina. Unde & Veteres quoties *per occulta Naturæ ibant, divina ſe tractare* jactabant. V. Senec. Lib. 2. Natt. qq. cap. 56. Sit ergò

CAPITIS PRIMI RELIQUUM

DE

CONSENSU ET DISSENSU CORPORUM NATURALIUM SIMPLICIUM.

§. 1. Quatuor ſunt Principia, è quibus conſtituitur, quidquid ſub Lunâ naſcitur, Ignis, Aqua, Aër, Terra. Adeò ex tripode dictum illud *Ariſtotel. l. 5. de Generat. animal. c. 7.* *αἱ ἀρχαὶ μεγέθει οὖσαι μικραὶ, τῇ δυνάμει μεγάλαι εἰσί: Principia parva magnitudine, maxima ſunt facultate.* Ignem quidem ex Elementorum numero exterminare nituntur Valla *l. 1. Dialect. cap. 2.* Danæus *Tractat. 2. Phyſ. Chriſt. cap. 8.* Jonſtonus *De Conſtant. Nat. Propoſ. III. art. 1.* Comenius

Physica Renata *cap. 6.* Bartholinus *Systemate Phys. De Elementis cap. 2.* Cardanus apud *Scaligerum Exerc. IX.* & si qui alii. At revrâ contr Sensû, contra Rationé. Diogenes, cùm Zeno disputaret, motū non dari, surgebat, & ambulando refutabat Stoæ principem. Scaliger cum Cardanus frigus nil nisi privationem & Ens per opinionem hominum tantùm diceret, falsè ingerit: *Soleas abjice ac pileum, Cardane, quo tempore ex alpibus Rhaticis urit vos Boreas, Exerc. XVIII.* Hoc innuere voluerunt Summi Viri, sensum dimittere in iis, quæ sensibus manifesta sunt, & rationem quærere, imbecillitatem intellectus esse, quod & ipse docet Aristoteles. Ita quoq; hîc loci de Igne testatur tactus, sæpè etiam ipse visus. *Accede ad ignem i am calefces plus satis,* dicebat ille apud *Comicum, Eunucho 1. 2. 5.* De hoc Igne, quem ita tangimus, quem ita videmus, quæritur, an sit corpus Simplex, an Mistum. Si illud, res est in vado. Omne enim corpus simplex sublunare Elementum est. Si istud, constat citra dubium ex Igne, tanquam corpore simplici & Elementari. Videatur Dn. SPERLING. *Inst. Lib. IV. cap. 1. ad. Prac. 2.* Quod si tantoperè impuritatem & concretionem urgent, forsitan eâdem operâ & reliqua Elementorum exturbabunt è Naturâ rerum. Nullibi ea pura habemus, sed ubiq; feculenta & infinita corpora alia hospitio recipiunt. Stat ergò perstatq; quaternarius Elementorum numerus, nec tàm rationibus Peripateticis, â quatuor primarum Qualitatum συζυγίαις possibilibus, â diversitate motus, â quatuor humoribus in Corpore nostro, quàm sensu ipso comprobatur.

§. 2. Quatuor hæc totius Inferioris mundi semінia vel considerantur in Misto, vel extra Mistum. In Misto existimamus ea naturali suo statui relicta, optimè invicem convenire, & cohærere sibi per sua minima unum alteri pacificè ac concorditer, non autem ita agere & reagi, ita frangi, & refringi, ita pugnare & præliari, & tandem post tot alterationes & altercationes Mistum consti tuere. Dico signanter, naturali suo statui relicta. Nam quando turbantur præternaturaliter & agitantur ab extrinseco aliquo fortiori principio, tùm utrq; accedens forinsecus calor aut frigus vehementius aggreditur hostem intus latentem, & pugnas cum eo ciet, hactenus induciis in apertum bellum erumpentibus. Quod inprimis in morbis intemperiei videmus evenire, quos morbis organicis & solutæ unitatis

contra-

contradistinguunt παῖδες ἰατρῶν. Verum quidem est & aureum illud *Scaligeri Exerc.* CCCVII. 20. *Nisi quatuor illa Elementa Rectorem habeant, temerè ac sine modo metáq; ullâ & jactabunt & jactabuntur. Quid enim illud est, quod tantum terræ, tantum commisset cæterorum?* At habent ipsa Ducem & Rectorem, quo opus erat. Forma nempè specifica jam tum in principio omnis mistionis adest, & sine multo tumultu, sine mutuâ pugnâ elementorum totam rem feliciter peragit. *Non est credendum*, ait B. SENNERTUS *De Cons. & Diss. Chymic. Cap XII. quod nonnulli sibi imaginantur, quasi cum res aliqua generanda est, ex omnibus quatuor Elementorum regionibus materia ad mistionem conquirenda sit: sed cum rem crearet DEus Opt. Max. verbo, Elementa miscuit, & mistis suas formas peculiares ac seminales rationes & essentias cœlo analogas indidit.* Tolerant ergò se benè in misto hæc diversissima, quia formæ minimarum atomorum ibi concurrunt, & ideò pacatè degunt: accedente præsertim superiori formâ, quæ inferiores illas omnes in officio continet. Quod iterum effari lubet pulcerrimis verbis Dn. D. SENNERTI. Malo namq; mutuum reddere, quàm in plagio deprehendi. *Est benignum, ut arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris*, scribit *Plinius Præfat. Hist. Nat.* Ita ergò Summus ille Naturæ Consultus Hypomn. III. cap. 2. p. 136. *Hæc pugnâ* (Elementorum) *simpliciter opus non est: satis est, si ad minima redigantur miscibilia. Etenim tum demùm, quæ sunt contraria, inter se pugnant, & se invicem aversantur, quando eorum notabiles magnitudines & portiones concurrunt. Dum autem in minimas particulas rediguntur, nullam, vel vix notabilem pugnam ineunt. Id quod multis experimentis constat. Dum carbonibus ignitis affatim aqua affunditur, strepitus inde ex pugnâ contrariorum excitatur: non autem si atomi igneæ aquæ communicentur, eiq; per minima misceantur, dum aqua calefit, & in vapores resolvitur, ubi ex omnium confessione tàm ignis, quam aquæ atomi in vaporibus continentur, & pacatè degunt. Sic etiam si aqua leviter calefiat, recipit quidem atomos ignis sine pugnâ: si autem aqua vehementius incalescat, atomiq; igneæ ubertim, vel ignis particulæ atomis majores aquæ communicentur & permisceantur, fit pugna ac insignis ebullitio. Quando autem in vapores & minima corpuscula resoluta est aqua, licet ignis atomis conjuncta fuerit, nulla tamen animadvertitur pugna. Oleum*

non admittit aquam nec ei permiscetur, ob naturæ contrarietatem. Si autem oleum in minimas particulas redigatur, id aquam admittit. Hæc ille.

§. 3. Extra Mistum quando considerantur Elementa, partim consentiunt inter se, partim dissentiunt. Ab Igne & Aquâ ducemus orsa. De IGNE scitè *Fernelius* ait *l. 2. de abdit. rer. caus. c. 17. India si quid ejusmodi rarum carumq; sola protulisset, admirarentur scilicet omnes ac laudarent occultas ejus proprietates: nunc quoniam vulgare est: parvoq; parabile, contemtum proinde erit & nullo in precio.* Scilicet miraculum Naturæ maximum est Ignis: sed, ut omnia, assiduitate vilescit. *Adeo naturale est, magis nova, quàm magna mirari, Seneca* exclamat *l. 7. c. 1. Natt. qq.* Etiam abjectissimum *silicem* satis admirari ac prædicare non possumus, qui *æternus Ignis Thesaurus est*, juxta Scaligerum Ex. XVI. 1. ex Plinii l. XXXVI. Ut meritò scribat *Job Heidfeldius Sphing. Theologico Philosoph. cap. VII. p. m. 122. Vos ego nunc compello Doctores, Studiosi, opifices, nautæ, & deniq; quicunq; ad nocturnas operas surgere atq; operari cogimini, annon justum existimatis gratias agere DEO etiam pro hoc silicis beneficio? imò annon totus mundus pro abjecto isto lapide ingentes gratias creatori Christo habere tenetur? Per hunc enim omnia sunt facta. Unde enim ignem rem tàm necessariam sæpè haberemus ita facile, absq; hoc lapide si essemus?* Mirabilis præ cæteris in eo ac memorabilis est Consensus iste Naturalis, quẽ Ignis unus habet ad aliũ. Amant se mutuò, ac jungi semper & uniri desiderant. Et quò magis copulantur, hoc magis operantur: prout ubiq; vis unita fortior. In stipulâ aut fœno æquè calidus est ignis, ac in ligno aut ferro, non tamen æquè efficax est, quia non æquè unitus & compactus est. In speculis comburentibus congregantur itidem igniculi, arctissimeq; consociantur, unde combustio sequitur. *Scaliger* quærit *Exerc. XII. 1. Quomodo ignis igne validior?* Respondet: *frequentia partium atq; cohæsione. Siquidem in densiore materiâ partes plurimæ parvo continentur loco. Non igitur ignis in ferro validior, quam in stipula, diluitur autem non vis essentialis, sed actio propter partium distantiam. Id quod in phalange quoq; fieri videmus. Et Ex. LXXIII.* habet: *Haut negamus, propter naturæ affinitatem diffundi radios candida superficie. Quamobrem ignis quoq; in castrensibus coquinis, si solis radiis feriatur, minus validus est. Dissipatur enim in aëre similiore atq; tenuiore. At â cavo speculo conceptis igni-*

ignibus ex adverso sole, vidimus nos uri pileum ejus, qui illa venalia habebat, ex candidâ factum paleâ. *Job. Bapt. Porta L. XVII. Mag. cap. 4.* ex eodem fundamento docet quâlibet diei horâ speculo concavo domum vel arcem comburere; speculum scilicet Soli opponendo, & res accendibiles aut cumulos pyrii pulveris in punctum coincidentiæ radiorum opponendo. Et *Heidfeldius* loco laudato ex Lactantio De Irâ DEI c. 10. addit: *Dicam aliud, ut increscat etiamnum admiratio. Orbem vitreum plenum aquæ si tenueris in Sole, de lumine quod ab aquâ refulget, ignis accenditur etiam in durissimo frigore.* Ignis nempè tendit ad ignem, & quò fortiùs reflectitur ac repercutitur, hoc magis unitur & compingitur.

§. 4. Eandem inter duos ignes naturæ cognationem, & affectionum similitudinem candela nos docet in fornace accensa: quæ difficulter cum flammâ suâ potest extrahi, sed extinguitur identidem. Ægrè namq; divellitur â flammâ intùs contentâ, sed reclinat quasi caput, & ei cupit restitui. *Aristoteles* quidem de Majoribus suis, h. e. priscis quibusdam Philosophis refert *l. 1. de Gener. & Corrupt. cap. 7. t. 46.* ipsos statuisse, in hoc passu non simile â simili, sedâ contrario pati, quia multum pauco, & magnum parvo sit contrarium, ideò ignem majorem minorem absumere. *Conimbricenses* item aliam causam suppeditant *in lib. 1. de Gener. & Corr. c. 9. Q. 2. & Problem. 1. Sect. IV.* ad calcem *Librorum de cœlo*, quam ex Aristotele depromunt lib. de longit. vitæ cap. 3. Nempè flammam minorem extingui â majore, non per se, sed per accidens: quia scilicet major minori fomentum & pabulum devorat ac consumit, nempe fumum. Sed ad primum. Sive veteres sive recentiores eam sententiam foverint, parum hoc ad animũ liberalem & ingenuum, qui in Veritatis templo dudum hunc clypeum suspendit, AUTORITATI RATIO præponderet. Post velum cognoscendæ causæ sunt non forenses tantùm sed & Philosophicæ, *nec considerandum quis dixerit, sed utrum vere dicatur, nec nè?* uti Socrates prudenter admonuit apud Platonem in Charmide. Magnum sanè parvo, multum pauco contrarium neutiquam est. τῷ ποσῷ ὐδέν ἐστιν ἐναντίον, dicit & docet Aristoteles lib. Categ. c. 6. Magnus numerus luporum non est contrarius parvo numero luporum, nec parvus numerus agnorum est contrarius magno numero agnorum. Non ad substantiam, non ad

Quantitatem, ſed ad Qualitatem tendendum ſimpliciter, ubi de contrarietate aut ſimilitudine rerum res nobis. Qualitatum proles prima eſt ſimilitudo & disſimilitudo. Ad alterum. Attrahit major flamma minorem, etiam quando fumus nullus adeſt pro pingui pabulo, lucerna v. g. lucernam. Et ſi pinguedo aut aliud pabulum adeſt, tamen in hoc adhuc ſunt contenta plurima corpora ignea, quæ ideò ob ſimilitudinem tranſeunt ad alterum ignem, & ſuavi hærent complexu. Unde quaſi ſui ipſius obliti præfati *Patres* ibidem ipſimet ſubjiciunt: *Plerumq; tamen ignis minor non extinguitur à majore, quaſi propriam formam abjiciat, quæ eſt germana cujusq; rei corruptio, ſed majori indiscretè agglutinatur, ideoq; interiuſe ad adſpectum videtur.*

§. 5. In umbroſo loco quando conſiſtimus, frigiditatem ſentimus, ob aquæ præſentiam, & ignis abſentiam. Simulac autem umbram transgredimur, & aprico Solis nos committimus, calor ſtatim corpus afficit præſentisſimus. Ratio eſt iſta, quia radii Solares igniculos ob ſimilitudinem undecunq; convehunt, ad quos alii, qui in viciniâ adhuc hærent, itidem aut ſponte accedunt, aut attrahuntur à fortioribus. Candelam recenter extinctam vel nudâ manus agitatione iterum accendimus. Ventilatur enim aër motitatione illâ, & arcentur fuligines, quæ ex fumo oboriebantur. Quibus pulſis liberantur igniculi ab immerſione materiæ denſæ craſſæq; & ſibi ſolis relicti uniunt ſe hoc magis, & flammam viciſſim excitant. Halitum ex ore efflatum non videmus æſtivo tempore. Liberè enim eum tanquam igne plurimo refertum, admittit externus ignis, & ſe cum eo copulat. Videmus autem hiberno tempore, quia reluctatur egredi nti frigus & excludit eum adeò, ut & in orbem ſe cogat adverſus hoſtem obſtantem. Sic camphora itidem quia plurimos in ſe igniculos continet, etiam alios igniculos è corpore noſtro ad ſe allicit. De quâ memorabilia habet πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων Dn. SENNERTUS *Hypomn. I. cap. V. p. 37. Diſputatur* (ait) *inter medicos de temperamento Camphoræ dum Antiqui eam frigidam, è recentioribus plurimi calidam eſſe ſtatuunt. Sapor tamen & inflammabilitas eam calidam eſſe, ita manifeſte convincunt, ut mirum ſit, de eo dubitari poſſe. Unicum eſt, quod aliis perſuaſit, ut crederent eſſe frigidam, quod ſcilicet refrigerat. At hoc per accidens, non per ſe præſtat, dum nimirum igneas & ſulfureas*

atomos

atomos ad se propter similitudinem trahit, & è corpore extrahit: quod & flores & aqua sambuci, & oleum cum lixivio mistum in erysipelate præstant. Et *Porta* tradit *Lib. XII. Magiæ cap. XI.* Si in aquam vitæ projiciatur camphora particulatim concisa, fenestris & foribus cubiculi undiq; clausis, eam brevi temporis spacio ita dissolvi, ut tota aqua, carbonibus tantùm ardentibus vasi subjectis, in fumum solvatur, qui cubiculum aliquod totum expleat: ingrediente verò aliquo cum candelâ accensâ, aërem visâ candelâ totum ignescere, & cubiculum ipsum accensum videri. Exhalaverunt scilicet tum ex aquâ vitæ, tum ex Camphorâ illâ effluvia sulfurea, & integrum tractum aëris in Museo occupaverunt; Unde alio igne forinsecus accedente, non tàm aër, quàm ignis ipse subitò inflammatur.

§. 6. De Naphthâ *Plinius* habet *Lib. 2. cap. 108. Huic magna cognatio ignium, transiliuntq; protinus in eam undecunq; visam. Ita ferunt à Medeâ pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, coronâ igne raptâ.* Hâc Persæ illinere tela dicuntur, hisq; incensis & lentiùs emissis hostium cremare tecta. Alexander M. tentandæ rei puerum in balneo naphthâ inungi jussit: qui illatâ lucernâ totus ardere adeò cœpit, ut de vita actum fuisset, nisi ministri aquam largiter affundendo ignem extinxissent. Et *quid si Hercules sacrificaturus ad aras accedens, veste naphthâ flammam concipiente combustus esset, & hic sit sanguis Nessi Centauri, quem Poeta fingunt?* haud præter rem ariolatur *Sennertus Epitome Nat. Scient. Lib. V. c. 3 p. m. 403.* Causam tàm mirandi & subitanei effectus elegantibus verbis exprimit indagator Naturæ studiosissimus *Petrus Laurenbergerus Acerrâ Philologicâ Cent. 1. H. n. 60.* Die Vhrsache der schleunigen Anzündung ist / dieweil auß der Naphthâ herfür rauchen sehr truckne / subtile Spiritus, die nicht allein leichtlich anbrennen / sondern ziehen auch zu sich auß Gleichheit der Natur des Feuers Flammen. Ita candelam recens extinctam si quis parieti admotam illico accendi videret, miraculum forsan subesse auguraretur. Evilescet autem statim omnis admiratio, si compertum fuerit, Naphthâ aut sulfure parietem esse infectum. Ita Turcæ in festivis suis diebus sulfur & auripigmentum cum oleo coquunt, & in eis filum ebullire sinunt, resiccatum per candelarum plurimarum ellychnia ligant, transiensq; ex uno capite accenso filum currit per omnes flammas & eas accendit, recensente

Portâ lib. XII. cap. XI. Qui & *cap. X.* de stercore columbin & resinâ hoc memorat: *Refert Galenus, in Mysiâ, quæ est Asiæ pars, sic domum conflagrasse. Erat projectum columbaceum stercus, in propinquo fenestram tangebat, ut jam contingeret ejus ligna, quæ nuper illita resinâ fuerant, cui jam putri & excalefacto & vaporem edenti, mediâ æstate, cum Sol plurimus incidisset, accendit resinam & fenestram, hinc fores alitæ resinâ quoq; illita ignem concipere & ad tectum usq; submittere incipiunt: ubi autem à tecto semel est accensa flamma, celeriter in totam grassata est domum, quod maximam haberet vim inflammandi.*

§. 7. Damus Experimenta alia. Jusculum calidum, præsertim si crustâ non obducatur, quæ calorem internum continere potest, citiùs & feliciùs ad radios solares refrigeratur, quàm in umbrâ aut loco frigido repositum. Ibi namq; simile ad simile tendere laborat, quantum potest: hîc verò ob hostem externum retrocedit calor ad partes interiores & magis se unit. Quod & *Keckermannus* nobiscum agnoscit *Cursûs Philosophici Disp. IV. Coroll. Phys. 5.* scribens: *Ignis langvescit, sæpè etiam extinguitur ad Solem: & aqua calida ocyus ad Solem refrigeratur, quam in umbrâ gelidâ: quia simile elicit ad se simile, & eliciendo debilitat.* Pharmacopolæ & Chymici cum substantias habent calidiores ac partium magis tenuium, id dant diligenter operam, ne eas adurant nimio calore; sed aquæ vix tepidæ infusione eliciant. Dissiparet enim nimius decoctionis calor, quidquid subtilis ac ignei inest, & in quo vis earum præcipuè consistit, omne exhalaret atq; evanesceret. Quod & coqui coquæq; nôrunt, quæ condiendis ferculis postremum ponunt piper, gingiber, caryophylla, & alia aromata: quorum igneæ particulæ aliàs evolarent, si statim â principio coctionis vim ignis sustinerent. Æstivo tempore debilissimi sunt animantium ventriculi, nec nisi pauci cibi appetentes. Prolicitur enim internus calor ab externo circumobstante, & attrahitur ignis ab igne. Hinc dissipatur virtus concoctiva & dispergitur, nec ad digerendas copiosiores escas sufficit. Unde cumprimis calidioribus diebus Cacochymici vexantur nimioperè, & flatibus ac ructibus perpetuis sunt obnoxii. Cùm ex adverso hieme contra frigus obsistens se magis magisque armet ac uniat calor intrinsecus, & largiori quoque nutrimento assumto benè sit coquendo. Sudantes accedunt ad ignem, ut sudare desinant. Qui digitos aut manus sibi

sibi adusſit, & curari vult, non debet ire per contraria, ſed per ſimilia. Si namq; ambuſtum membrum frigidæ injiciatur, obſtructis meatibus calor exire nequit, ſed retrocedit, & cuniculos agit, ac tandem in gangrænam degenerans circumquaq; latius ſerpit, & illæſis vitiatis partibus addit. Hinc meminit *Ambroſius Pareus* apud *Baſſonem l. 1. de mat. & miſto Intent. 3. art. 4.* militum quorundam, qui â pulvere tormentario accenſo ambuſti, quod medicorum manus nihil prodeſſent, dolore victi ad flumen ſe præcipites daturi cùm curterent, ab anu quâdam obviâ cæparum admotarum beneficio miraculoſe ſanati fuerint. Ubi addit Baſſo: *Unde & Fernelius ait, capas ambuſta per miraculum ſanare, quas tamen valdè calidas eſſe guſtus docet. Hoc facit & ſambuci cortex, vel ejus ſuccus, qui licet calidus & ſiccus ordine ſecundo, his aliisq; inflammationibus mirificè confert, quas & calx ipſa ex melle admota ſedat; ut cujus aqua licet admodum calida, veluti id genus alia permulta, ambuſta ſanat. Quæ quidem, ut Fernelius de capis, miracula ſunt, ſed iis qui actionum naturalium vera ignorant principia. Quorum omnium facilis eſſet ratio, ſi ſcirent partes calidas per aduſtionem ſolutas, apertionem pororum, quò liberiùs exeant, requirere, quæ caloris externi beneficio impetratâ erumpant, partem afflictam infeſtare deſinentes.*

§. 8. Temperare mihi non poſſum, quando ſemel in hanc aream & arenam deſcenſum eſt, quin apponam adhuc verba Meritisſimi de Academiâ noſtrâ Theologi Dn. D. FRANTZII ex *Hiſtoria Animal. Part 2. cap. 21. p. m. 515.* quæ mirificè faciunt ad præſentem rem, & ſententiam noſtram inſignibus naturæ Exemplis corroborant ulterius. Ita enim ille de Tobiâ ſeniore hirundinum ſtercore excæcato & felle piſcis reſtituto loquens; *Quomodo ſit curatus ille morbus felle piſcis, quod tamen ſolet eſſe calidius, mirum poterat videri, niſi ex Phyſicis conſtaret, calorem non evocari per frigus ſed per calorem alium. Unde qui combuſſerunt digitum, non in aquam frigidam debent intingere, ſed calida medicamenta apponere, ut hæc calida medicamenta aperiant poros digiti, ut poſſit alienus calor tanquam noxius iterum exire & exhalare. Solent igitur apponere lac camelinum, vel etiam caprinum, tanquam calidum lac, quia vaccinum eſt frigidum & potiùs conſtiparet digitum, & concluſum detineret calorem noxium. Item ſolent apponere mel, quod eſt calidum &c. Simili modo fel piſcis, id eſt, bilis calidiſſima appoſita oculo Tobiæ*

bia senioris, præternaturalem calorem ingressum revocavit. Non planè negligenda hæc censeo, quanquam negotium totum non exhauriant.

§. 9. De Igne quod dictum hactenus, de AQUA dicendum non minùs. Amat & hæc se semper, & ob amorem unit. Hinc cohæret aqua aquæ in principio defluxionis, usq; dum in fine ob aërem circumobsidentem & detrudentem eat in guttulas. Hæret & unda undæ, quando præter naturalem suam inclinationem sequitur aërem ex fistula extractum, & summitates ædium aut montium adscendit. Profundatur atramenti aliquid in mensâ, aut papyro non bibulâ. Admoveatur desuper penna humida, sive atramenti liquore, sive aliâ aquâ tincta fuerit, perinde est. Adscendet ocyus sursum grave corpus contra naturam suam, (falsus enim *Cardanus* est qui disputat Aquam suâ naturâ nec adscendere, nec descendere, castigatus ob id *Scaligero Exerc. XLV.*) & in tumorem exsurgens socio adhærescet complexu mutuo. Huc referri potest *Bassonis* ista ratio, quare vinum pleno dolio non fluat, nisi aër aliunde egrediatur, quia scilicet â similis consortio ægre divellitur, neq; vult illud relinquere, nisi in magnâ copiâ, facto lato exitu, fluat, & ab aëre ingresso vi depellatur, *L. de Motu Intent. 2. art. 7.* Ita quando sudamus in balneis, & ignis prolicit ignem, & aqua aquam, exterior interiorem. Pedes frigore congelati nive sunt fricandi aut gelidæ aquæ immittendi, ut frigus externum extrahat internum. Hinc non sine periculo cum hiberno tempore in tempestatibus ac gelu versati fuimus, calidam fornacem desubitò accedimus. Contrahit enim se frigus in corpore ob præsentiam ignis, & ipsum tandem cor petens passiones & mutationes infert plurimas. Et memini studiosum quendam pauperem frigore obrigescentem, cum Vratislaviæ Xenodochio calefacto inferretur protinùs, animam quantocyus exspirare. Horsum spectant & *Sennerti verba Hypomn. 3. cap 1. p. 101. Si quis ova vel poma congelata aquæ calidæ imponat, vel aëri calido admoveat (quod fieri deberet, si esset nuda alteratio) corrumpuntur: si verò aqua gelidissimæ immergat, gelu extrahitur, & instar glaciei extrà adhæret, ipsa verò integra servantur.*

§. 10. Ita ergò hactenus Consensum spectavimus inter simile & simile, inter Ignem & Ignem, inter Aquam & Aquam. Proximum enim & amicum quodlibet sibi ipsi. Nunc Dissensum lustrare juvabit

inter

inter simile & dissimile, inter Ignem & Aquam. Ubi nil nisi professam hostilitatem est deprehendere, nil nisi pugnam & fugam: Titio ardens cum aquæ immittitur, quantus ibi strepitus renitentis hostis, aut ejulatus fugientis? Lignis ardentibus cum unda crebrior affunditur, idem murmur & fragor exauditur, primum dissidii argumentum. Tum fugat ignem aqua, & aut ad intimarum partium tuta latibula propellit, aut insecuta vehementius etiam inde ejectum sedibus omnibus pulsat, & in liberum aërem exhalare cogit. Vitrum candens ad aquæ adspersionem frangitur ac in frusta dissilit, humido scilicet, quod partes nectit, ad vitandam calidi vexationem ad frigidum humidumq; laticē accedente, & sic vinculum ac connexionem partium destituente. Vid. *Sperling. Instit. Lib. IV. cap 3. Q. 9.* Ita quando tegulis ignitis aqua subinde affatim adspergitur, rumpuntur tandem ac franguntur. Hostis enim advenit forinsecus, & humidum quod adhuc tegulas continebat, & agglutinabat fugit ad suum simile, & sic nexum partium deserit. Quibus manus frigore rigent, si igni admoveant, vehementiores intolerabilesq; dolores persentiunt. *Causa in promptu est*, dicit *Basso Libro De Actione Int. 3. art. 3. aculei nimirum ignei sese per vim in manum intrudentes. Cum autem carnes jam sint particulis illis frigidis qua intrusa sunt, confertæ, nec detur locus ingredientibus per vim igniculis, magis ac magis carnea moles condensatur unde tantopere procedit cruciatus. Donec tandē igniculis pluribus ingressis, victoribusq;, frigidæ illæ naturæ cedunt, quorum discessu dolor sedatur.* Aqua & oleum, item quævis pinguedo alia, aut nunquam, aut perraro commiscentur invicem. Sulfureæ namq; naturæ sunt pinguia omnia, & hinc inflammantur facilè. Sulfur autem igniculos plurimos semper secum habet. Renuunt ergò uniri ignis & aqua. *Sennertus ait. Hyp. I. cap. 1. p. 33. Hinc videmus, si in oleum vel pingvedinem calentem, inter plumbum vel antimonium fusum aqua inspergatur, ignem fugere ab aquā ut hoste, flammam excitare, & in altum evolare, ita ut interdum aquæ in oleum vel pinguedines fusæ incendiis ædium occasionem dederint.* Hinc & fit, quod ossa quò pinguiores, eò caloris retentiores sunt. Ignis enim amicè degit cum pinguedine, tanquam nutrimento suo, nec facilè discessum parat. Aqua & butyrum in sartagine tàmdiu se tolerant, usq; dum prunis aut flammis subjectis excitetur ignis in butyro, qui frigidioribus partibus antea adhuc obvolu-

volutus & illigatus erat, & sui juris factus cum igne extrinsecus adventante se conjungat, & vi unitâ aquam impetat. (Non secus ac in corpore etiam nostro omnia Elementa amicissimè degunt, in partes nempè minutissimas resoluta, usq; dum præternaturalis aliquis calor aut frigus solvat temperiem, & seditionem excitet.) Stipant enim ut plurimum partes frigidæ ac humidæ igneam vim, alioquin citò evasuram, nî firmis illis veluti muris partium contrariarum cohiberetur. Quamprimum autem flamma admota humidum dissolvit, ignis exitum nanciscitur liberiorem. *Eadem est ratio,(Bassonis verba sunt Lib. 2. de Mat. & misto Intent 2. art. 5.) quod sulfur, cum admodum igneum, ac tàm subitò flammam capiat, prunas tamen injectum à quibus accenditur, extinguat, ita ut vix postea ignescant. Quippe partes frigidæ quas tantò potentiores in sulfure necesse est esse, quanto plus in eo ignis concludunt, subeuntes prunarum poros igni exitum præcludunt suâ densitate.*

§. 11. Fugiunt ergò se fugantq; mutuò Inimici hi duo, & adeò quidem, ut tergis jam datis nihilo minus in arctum persæpè iterum cogant suas copias, & hoc fortiùs prælientur, quò arctius ab adversario obsidentur. Ex quo causæ eliciuntur plurimarum in Naturâ rerum, quæ ostenta cæteroquin & miracula videntur aliis. Cur lebetis ænei, flammis suppositi pars ima non ferveat, sed indemni tractari possit manu, quæsitum â plurimis fuit, â paucis investigatum. Causa est hæc ipsa, quia igniculi per poros vasis ingredientes moram in fundo diu non faciunt, sed qua possunt celeritate transeuntes eam partem illæ sam relinqvunt & in latera lebetis impingunt frequentius. Accedit inprimis nativum aquæ frigus quod magis magisq; adversus hostem se unit, & sic majores vires sibi ipsi comparat. *Sentisnè aquam*, quærit *Basso Libro 1. De Formâ Int. 2. art. 3. in poris imi lebetis, ignis viribus obsistentem. Minimè, inquis, sed frigus sentio ab aquâ productum. Quæ aqua producit? quam lebes continet. At est calidissima. Tantus calor utrinq; hinc aquæ ferventis, illinc ignis agentis, id frigus produxit? Hoc est Peripateticus miraculum, non illis qui aquam in imi vasis densitatem insinuare sese cognoverint, atq; ibi ignis actioni resistentem. Scaliger* in hâc sententiâ etiam nobis est ὁμόψηφος.

Qui

Qui cum *Exercit. C. 1 8.* ad *aliam* Quæstionem: *Quare porcelli rostrum, dum assatur, calidius est; posteaquam perassatum est, minus calidum est, cætero corpore magis calido?* respondisset: *Quia suâpte natura non diu calorem servat rostrum. Ex rara admodum enim cartilagine est. Quamobrem quădiu ex ventre per os exit calor ad oras & capitis extrema, rostellum calet. Exit autem calor ille, dum assatur, excoquendo humidum. Ubi cessavit vaporis ille commeatus, id quod sanè fit assatione peractâ, non amplius calescit rostrum, sed porrò facili rotatione ipsa ventilatur:* ad hanc nostram subjicit: *Lebetis vero fundus non calet, quia naturâ suâ frigidum as eam, quantum potest, retinet frigiditatem. Retinet autem aquæ frigore adjutus fundus, quæ in ipsos poros sese induit. Propterea quod quæ pars aquæ calefit, summum petit: frigida semper in imo est. Keckermannus* quidem *Systēm. Phys. Lib. 2. cap. 12. Theor. 1. & Cursus Philosophici Disput. IV. Corollario Phys. 10. & Disp. IX. Coroll 6. addit rationem aliam ex naturali figura ignis, quæ in Pyramidem assurgit, ita ut ignis ibi fortius agat, ubi figura pyramidalis est exactior: quare cum fundus abeni latior ignem ad parietes diffundat atq; ideirco pyramidalem ignis figuram à sese propellat, fit ut minus efficacem ignis actionem experiatur. Unde & Experientia testatur, fundos acuminatos validius incalescere, latos non item.* Verum ne q; Figura pyramidalis Igni naturalis est, sed accidentalis, pro varietate partium illarum sive crassiorum, sive tenuiorum pabuli illius, quod ignis sequitur. Hinc in incendiis cùm proximus ardet Ucalegon, tua res agitur. Non enim in sublime tantum aut acutum Ignis assurgit, sed & vergit ad latera. Neq; ibi adeò in exacta n Pyramidis figuram in aheno aut lebete se ignis constringit, sed lateribus adhæret circumquaq;. Acuminati autem fundi validius incalescunt, lati non item, quia in illis igniculi arctius uniuntur ac condensantur, in his disperguntur. Vis unita fortior.

§. 12. Aliud experimentum. Papyrus aquâ vel cerevisiâ repleta super candelâ teneatur per tractum temporis egregium. Incalescet & effervescet intus aqua aut oleum etiam, adeò ut & æstuet, & ova supra papyrum frigantur, nec tamen charta amburetur. Subit enim aqua fundo proxima poros fundi, & eum quamdiu potest, à flammâ vindicat. *Keckermannus* inquit *Syst. Physic. Lib. 2. c. 12. theor. 1. Vidi meis oculis sartagines plumbeas & quadratas, aquâ ex quâ sal co-*

 quitur,

quitur, plenas, ingenti igni suppositas non liquescere, quamdiu scilicet aqua in illis fuit, quamprimum verò negligentiâ operariorum prior aqua fuit exsiccata, & nova non affusa, in momento colliquefieri. Eâdem ipsâ responsione puto satisfieri Dubio Joh. Bapt. Rhamnusii Venetiarum Secretarii, quod Fracastorio proposuit: *Cur circa pomum circumvoluto tenui linteo,* (addo ego, madido inprimis) *pomum ab igne calefieri cernamus, linteum nec quidquam lædi.* Nam quod ad antiperistasin Fracastorius causam refert, mala hypothesis est. Quærit *Aristoteles Sect. 8. Problem. 13. Cur tempore matutino frigus acrius est, cum tamen Sol propius adsit?* Respondet: *An quod plus temporis absentia Solis exultat? itaq; terra magis refrigerata est. An quod die instante ros & pruina cadere solent, quæ frigida sunt: an hæc etiam ideò cadunt, cùm propius tum cadunt, quod locus vehementius refrigeratus est propter Solis diuturniorem absentiam? An die instante potius flatûs incitantur nocturni, qui gelidi admodum spirant? An nobis frigus acrius idcircò esse videatur, quod cibi concocti jam sunt?* At enim verò, quid Solis absentia nuda? mera privatio. Privatio autem potestnè positivum effectum producere? Haud opinor. Cum Sole absente etiam igniculi absunt, cum præsente adsunt. Et ros non matutino solùm tempore, sed & post Solem occasum, ubertim cadit, vel potiùs exit. Nec videtur nobis tantum frigus matutinum acrius, sed reverà est. *Opinio non efficit res,* dicit in hoc ipso casu *Scaliger Exerc. XVIII.* Quantò rectiùs omnis difficultas expeditur per hanc nostram sententiam. Cum Sole discedente discedunt igniculi etiam, radiorum Solariorum comites assidui. Hinc nocte frigida tantum corpora remanent in aëre, præsertim sub vernum ac autumnale tempus. Quàmprimum verò *cum luci simùl commodùm radiosus Sol superat ex mari,* uti *Plautus* loquitur *Sticho 2.3.41.* hostis adest ad portas, & igniculi cum Sole suo redeunt. Pulsant ergò frigus & retrudunt, quod dum fugit, vires suas in arctum magis magisque contrahit, & hinc eò vehementius id temporis nos afficit. Nec nos modò, sed & vineas ac arbores, & alia teneriora quævis, quæ plerumq; horis antelucanis damnum sentiunt irreparabile. Quærit idem *Sect. 25. Probl. 18. Quam ob causam aëre sudo apertoq; frigus sit acrius, quam nubilo, cum stellæ sint calida, & cœlum?* respondet: *An quia nihil tunc est, quod vaporem arcere continereq; valeat, sed diffundatur necesse est: at cœlo nubilo arcetur,*

& Aqui-

& Aquilone magis, quàm Austro, eâdem illâ de causâ. Auster enim nubes colligit, Aquilo dispellit. At verò nec cœlum, nec Stellæ calidæ sunt, & vapores æquè tempore nubilo affatim continuè adſcendunt & in nubes coguntur, ac tempore ſereno. Iterum igniculi Solares, qui faciunt ſerenitatem, fugant frigus in aëre & conſtringunt tenaciter, ut quò magis magisque ab illis ad nos deprimitur, eò potentius operetur. Eadem eſt ratio, quare poſt Solſtitium brumale, cùm ab Auſtro paulatim ad nos Sol revertitur, rigores augeantur, & hiems plus plusq; aſperetur. Unde tunc cum die creſcente etiam frigus creſcere dicitur. Eadem eſt, quare æſtate frigidæ ſint puteales aquæ in partibus abditioribus. Eadem, quare eopſe tempore fornices ſubterraneos frigora teneant. Et quæ centena alia ſedulo Naturæ venatori Exempla ſe ferunt obviàm, quæ omnia expediuntur ex hoc Conſenſu & Diſſenſu Elementorum. Aqua nempe fugit ignem, & dum in fugâ ſe magis magisq; unit, ab ipſo ſumit opes animumq; caſu.

§. 13. Sed & vicisſim Ignis fugit Aquam, imbecillior valentiorem, & itidem dum ſe amat, ſe armat, eòq; potentior & efficacior eſt, quò ab hoſte violentiùs impetitur. Calx ad aquæ adſperginem accenditur. Habet enim in ſe plurimum igniculorum, qui frigidæ affuſione fugiunt ad præſentiam hoſtis. In fugâ hâc uniunt ſe meliùs, & non abſque impetu exiliunt, flammamq; efficiunt. Hinc *Scaliger Exerc. V. 8. Calx eſt lapis mortuus. Loca quæ ab aquâ tanguntur circumſtante, ab ἐμπυρεύματος calore deſeri videntur. Fugit enim valentiorem inimicum. Tum ibi duo evenire: alterum, aquam calefieri atq; exhalare, à quâ etiam ſuperiora impetantur: alterum, magno impetu calorem ſeſe ſubducere propter ſui contrarii vim & interitûs vitationem, cujus in locum ſubeat aqua.* Et *Sect. 9. In calcis meatibus conſumptâ genuinâ humiditate, ineſt ignis. Is aquæ ingreſſum fugiens, ac ſeſe in partes ſolidas induens, ſtipat ſeipſum, atq; acuitur condenſatione.* Subtilior ſubtili Scaligero *Baſſo* paulò aliter hanc rem effert *Lib. 2. de mat. & miſto Int. 3. art. 6.* Inquit: *Quod contingit in cineribus, quiddam igneum reſtare, quod nullâ vi ignis elicitur, id longè copioſiùs fit in calce, quæ veluti cinis lapidis eſt, ſed longè denſior, ac propterea plurimum ignem in ſe continens, quem ignis externi virtus intenſisſima extrahere nequivit. Supereſſe autem illi calci, quantumvis arida aliquid humidi, teſtatur nexus*

 partium.

partium. Vinculum enim est ab humido, quo propterea per tempus abeunte, solvuntur partes in pulverem. Avolatq; cum humido calidum illud, seu igneum ejusmodi solutum. Unde hiatu partium facto copiosius ignis impetu exsiliens quid mirum si in aquâ effrenem suam virtutem explicabit?

§. 14. Cum pluvia aut fulmen tonitruq; impendet æstatis tempore, die cumprimis sereno antea & calido, tantus interdum æstus excitatur in parte aëris inferiore, ut angantur & vexentur nimiopere indigenæ præ lassitudine & virium deliquio, vixq; satiscentes ducant anhelitum. Pellit nempè aqua superior ignem & ad nos detrudit cum violentiâ. Hic quando se in fugâ unire cupit adversus hostem, impendiò plus plusq; intenditur, & intolerabiles illos ardores ac sudores in nobis efficit. Compertum est, media hieme columbaria conflagrâsse ob excrementa columbarum inibi reposita, quæ uti naturâ suâ calidissima sunt, & plurimas in se igneas ac sulfureas atomos continent, ita accessu hostis exterioris, quò magis igniculi fuerunt obsessi, eò magis fuerunt renisi, usq; dum terga dare coacti sese in se abscondiderunt, & auctis ex mutuo adjutorio viribus in apertam flammam erupere. Tempore æstivo in meridie frigida suffusæ plantæ ustulantur & comburuntur. Quia itidem ignis se ad interiores partes revocat, easq; urit ac perdit. Et huc istud quoque referendum venit, quando optimis Elegantiæ Romanæ arbitris frigus *urere* dicitur. *Virgilius* monet Agricolam suum 1. *Georg.* 92. videat,

> *Ne tenues pluviæ, rapidivè potentia Solis*
> *Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.*

Lucanus canit *Libro IV. Urebant montana nives.* *Scaliger* habet Exerc. *XVIII. Soleas abjice ac pileum, Cardane, quo tempore ex Alpibus Rhæticis urit vos Boreas.* Quin & ipse *Aristoteles* ita loquitur *lib. 4. Meteorolog. c. 5.* ἐνίοτε γὰρ καὶ καίειν λέγεται καὶ θερμαίνειν τὸ ψυχρὸν. οὐχ᾽ ὡς τὸ θερμὸν, ἀλλὰ τῷ συνάγειν ἢ ἀντιπεριιστάναι τὸ θερμόν: *Interdum dicitur & urere & excalefacere frigus, non tamen perinde ut calor, sed quia calorem cogit & in unum contrahit, aut eidem circumobsistit.* (Transeant, quæ de fictitiâ suâ ἀντιπεριστάσει immiscet) Non hic Metaphora tantùm aliqua cogitanda aut similitudo, qualis in illo *Maronis IV. Æneid. 68. Uritur infelix Dido,* & talibus aliis. Sed vera res subest, non secùs ac aqua fervens *urens ac ignita* dicitur *Scaligero*

Ex. XIV.

Ex. XIV. Frigus nempè obsistens facit, ut retrocedentes igniculi, quando coarctantur, & in unum quasi contrahuntur, fiam nam excitent & reverá urant ac comburant eam rem, quam intederant. Et ex hoc ipso ratio satis manifesta redditur, quare hieme putei ac cameræ subterraneæ, item ventriculi animalium calidiores sint, quàm æstate. Ignis & Aquæ Antipathia facit in omnibus utramq; paginam.

§. 15. At abduxit nos justò latiùs in patentissimum Deliciarum suarum Campum Natura, ut obliviscamur fermè instituti nostri, & legibus definitæ brevitatis, néc nisi exiguas de Elementis reliquis lineas possimus ducere. AER, felicissimum illud vacui supplementum, ex consensu quodam naturali uniri gestit tum secum, tùm cum aliis Corporibus Naturalibus, cœlestibus partim, partim subcœlestibus, ut ne ullo quidem interstitio quácunq; ex causá separari possit, sed rumpantur potiùs multa, aut quiescant, aut violenter attrahantur. Secum uniri gestit Aër. Hinc quando est sub Aquis conclusus, enititur naturali suá levitate, & peregrinum domicilium exosus patrias affectat sedes. Quod videmus, cùm canes aut facinorosos suffocari videmus. Egreditur tùm aër in quantitate insigni ex pulmonibus ac ore ipsorum, & aquas quanto potest impetu celerrimo perrumpens, aëri sistitur extrinseco. Unde bullarum tot cientur sphærulæ, quæ nihil aliud sunt, quàm *pelliculæ quadam chartá subtilissimá vel millies subtiliores aëre repletæ*, uti *Comenius* describit *Physica Renata p. 108.* Vesicæ quoq; axillis suppositæ natatorem securè ferunt trans ardua ponti. Aër enim sibi semper gaudet esse proximus. Et ut sibi, sic & aliis Corporibus. Hinc latera follium, obstructo orificio, diducere non potes, sed quiescunt, aut si pertendis, disrumpuntur. Vas aquâ calidâ refertum & firmiter undequaque occlusum, si sub cœlo frigidiori collocetur, aqua conglaciatur, & artiùs intùs constringitur. Minus ergo nunc esset spacium aquæ congelascentis, quàm antea incalescentis, & sic aër distraheretur ab aquâ, rimâ quadam scissâ, nisi Natura quasi è speculâ quâdam hoc dudum prospiciens, vas ipsum rumperet, & aditum liberum aëri permitteret. Hortulani solent clepsydrâ quâdam rigare hortos, cujus fundus variis foraminibus pertusus est. Quod si orificium ejus digito obtegatur, ne aër influat superius, nulla etiam aqua effluet inferiùs.

ferius. E fistulis ac tubulis si aër intùs contentus fortiter attrahitur, sequitur & ipsa statim aqua, & præter Naturæ suæ inclinationem sursum scandit, ut aëri adhærescat. Vid *Keckerm. Syst Phys. L. VII. quasi extremo, & Cursus Philosoph. disp. XX. Probl. 12. &* Celeberrimum *Sperling. Inst. Lib. 2. cap. 5. Q. 4.*

§. 16. Sed datur etiam Dissensus Aëris cum quibusdam Corporibus naturalibus, inprimis dissimilibus & contrariis, quæ conatur expellere. Hæc est ista medii diversitas, in qua vel tandem tutissimè pes figitur in Quæstione illâ satis intricatâ: Cur motus naturalis in principio tardior, in fine velocior? De quâ multam disputationis serram trahit *Pererius Lib. XIV. Phys. cap. 3.* Unionem scilicet amat natura quævis, quam qui tollit, tollitur; & contradicentem ac contranitentem eam ubiq; habet. *Basso* hanc in rem egregiè *L. De motu Int. 1. art. 3. Mare, flumina, corpora reliqua, quidquid in se est extranei, illud evomunt & excernunt: quidnî & aer? Hoc enim à Naturâ rebus omnibus inditum est. Ut quia simile similis consortio delectatur, disjunctionem abinvicem abhorreant, ac propterea conentur exspuere, quidquid inter ipsas facit divortium: quantòq; vel magis est diversum, vel majorem facit hiatum inter partes, tantò enixius ipsum contendant expellere. Hunc appetitum aer cum rebus omnibus communicat: hinc est ut nihil extraneum in se nisi gravatè ferat.*

§. 17. TERRA tandem & uniri secum ipsa cupit. Hinc in altum projecta violento motu, motu statim naturali tendit iterum ad suum simile, cum quo ipsi benè est. Et heterogenea corpora quantâ vi potest, conatur extrudere. Hinc lapides agri semper adhuc ejectant plures pluresque, etiamsi semel aut iterum ab illis purgati. Ac existimo omninò Terram Dissensum Naturalem habere cum ipso Igne & Aëre, sicuti Consensum cum Aquâ. Egrediuntur enim subinde suâpte sponte & aëreæ & igneæ atomi ex ipsâ, & sublimem locum appetunt, petuntq;. Quod etsi de atomis aqueis etiam concedendum esse, nebulæ ac pluviæ nos doceant, hoc tamen fit præter naturam ipsarum, & quando à Stellis sibi analogis vi extrahuntur. Nec temnendum argumentum mihi videtur duci posse à Figurâ ejus, quam obtinet, rotundâ ac globosâ, in quam se gyrat, ut ab aëre & igne circumobsistente se defendat meliùs: quemadmodum hoc fermè ubiq; solenne in Naturâ. *Quæcunq; sunt, unum sunt. Uni-*

Unitas autem in homogeneis excellentius servatur in globo, quia nihil dissidet, nihil absistit, nulla inaequalitas, quâ parti pars vel desit, vel superfit, scribit *Magirus Physic. Lib. V. c. 1. p. 407.* Quæ quidem nunc singula uberius diducere haud licet. Concludo verbis *Hier. Fracastorii de Sympath. & Antip. cap. V.* quæ Summarium quasi quoddam continent totius hujus Disputationis nostræ: *Constat unum ad aliud moveri, donec & in unum coëant, quod & in Elementis, & in aliis manifestum est, in aëre quidem inter bullas, quæ in aquâ fiunt: videmus enim unam ad aliam appellere, & eo velocius, quod proximiores fiunt. Similiter autem & in igne sæpius est videre parvam flammam à majori velocissime trahi. In aquâ autem & terrâ non ita promptum est, propter eorum corporum incommoditatem.*

DISPUTATIO IV.

De

CONSENSU ET DISSENSU CORPORUM NATURALIUM.

RESPONDENS

ELIAS HILSCHERUS, Uratisl. Siles.

COElum vidimus hactenus, & quæ sub cœlo, supra tamen terram sunt. Nil nisi divina, nil nisi jucunda, nil nisi utilia licuit nobis ubivis offendere. Nunc terra movenda est, & cœcæ ejus speluncæ subeundæ, cui propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis. Hoc est istud punctum, quod tantâ intentione dicam, an contentione? inter mortales ferro ac igne dividitur. Itum est in viscera terræ & sævitum jam pridem, & hodieque adhuc effodiuntur opes irritamenta malorum. Non novis vitiis laborat seculum nostrum, sed jam antiquitùs traditis, nec nostrâ ætate primùm avaritia venas terrarum lapidumque rimata, in tenebris malè abstrusa quæsiit. Illi ipsi majores nostri, quos celebramus laudibus, quibus dissimiles querimur nos esse, spe ducti in illos se demisêre specûs, in quos nullum noctium dierumque pervenit discrimen, & supra lucrum sub ruinâ steterunt. Queritur hoc sapientissimus Naturæ scrutator & morum castigator *Seneca*, qui tot nobis thesauros, quot libros reliquit. *Quæ*

tanta

tanta necessitas (inquit *Lib. V. Nat. qq. cap. 15.*) *hominem ad sidera erectum incurvavit, & defodit, & in fundum telluris intimæ mersit, ut erueret aurum, non minore periculo quærendum, quam possidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam incertamque raptavit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à quâ se avertit. Nulli ergò mortuo terra tàm gravis est, quàm istis, supra quos avaritia urgens terrarum pondus injecit, quibus abstulit cælum, quos in imo, ubi illud malum virus latitat, infodit. Illò descendere ausi sunt, ubi novam rerum positionem, terrarumq; pendentium habitûs ventosq; per cæcum inane experirentur, & aquarum in illis fluentium horridos fontes, & altam perpetuamque noctem.* Et *Plinius* eodem collimat in Pandectis Operum suorum Naturalium *Lib. 2. cap. 65.* cum ait: *Adversus unam Naturæ Parentem ingrati sumus, quasi quæ non ad delitias quasque, non ad contumelias serviat homini. In maria jacitur, ut freta admittamus, eluitur aquis, ferro, ligno, igne, lapide, fruge, omnibus cruciatur horis, multoque plus ut deliciis, quam ut alimentis nostris famuletur. Illa tamen quæ summâ patiatur atque extremâ cute tolerabilia videntur. Penetramus in viscera: auri argentique venas, & æris ac plumbi metalla fodientes. Gemmas etiam & quosdam parvulos quærimus lapides scrobibus in profundum actis. Viscera ejus extrahimus, ut digito gestetur gemma, quam petimus. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus?* Conf. L. *XXXIII. Proœm.* Mittamus nos exitialia hominum instituta, quos auri sacra fames tantâ habendi cupidine instigat, & quibus lucri bonus odor ex re quâlibet. Mente, non manu tractemus Almæ Parentis abdita adyta, & Numen etiam ibi veneremur, ubi inferos metuit avaritia. Abstrahamus animum & animam nostram à Creaturis ad Creatorem, nec diligamus ea, quæ condita sunt, super eum qui condidit, qui est laudandus in secula. Animalia quò cœlestibus viciniora sunt, eò minùs cupiunt inferiora, sicut volatilia cœli nec serunt nec metunt; mures autem & reptilia, & si quæ alia deterioris ac ignobilioris naturæ, convehunt in cavernas. Ita magni pectoris est, qui sursum se tollit à perituris mundi divitiis, parvi contrà, qui terrenis affixus hæret. Adspiciamus ita uno oculo aurum, gemmas, lapides, in Terræ Domicilio, ut respiciamus identidem altero ad Civitatem Dei Sanctam, cujus singulæ portæ ex singulis margaritis,

& cujus

& cujus plateæ aurum mundum tanquam vitrum pellucidum, & cujus fundamenta murorum omni lapide precioso ornata, Jaspide puta, Sapphiro, Chalcedonio, Smaragdo, Sardonyche, Sardio, Chrysolitho, Beryllo, Topazio, Chrysopraso, Hyacintho, Amethysto. Ita scilicet *omnibus rebus, omnibusq; sermonibus aliquid salutare miscendum est. Cum imus per occulta naturæ, cum divina tractamus, vindicandus est à malis suis animus ac subindè firmandus:* monitore nunquam satis laudato *Senecâ Lib. 2. cap. 59.*

CAPUT SECUNDUM
DE
CONSENSU ET DISSENSU MINERALIUM.

§. 1. Fuerunt Corpora Naturalia *Simplicia*: sequuntur *Mista*. Horum quædam sunt *Inanimata*, quædam *Animata*. Inanimata vocamus uno verbo MINERALIA. Quo ipso statim Cardano nuncium mittimus, qui Lib. V. De Subtilit. rationibus quibusdam ab apparente Metallorum nutritione & augmentatione, â venis & poris, â morbis & senio deductis veram eorum vitam adstruit. Quemadmodum & ex antiquis Thales Milesius attractionem ferri dicebat ab animâ Magnetis provenire, si Aristoteli credimus l. 1. de Animâ c. 2. Quam sententiam refutatam videsis apud Illustrem *Scaligerum Ex. CII. 1. 2. Gabrielem Fallopium in Tract. de Metall. & Fossilibus cap. 8. & Exc. Sperling. Instit. Phys. Lib. VI. cap. V Quæst. 2.* Mineralia autem dicuntur à mineris, h. e. meatibus ac visceribus terræ, in cujus utero quasi ac matrice utplurimum generatur quodlibet ex suo seminali principio. Aliis Scriptorum etiam Fossilia salutantur. Quanquam Aristoteles 3. Meteor. c. 7. ita distinguat fossilia à metallis, quod illa postquam fodiendo ex terrâ sunt eruta, nullâ amplius arte nulloque indigent labore, hæc plerumque etiam excoquuntur & igne separantur, variisque modis purgandi opus habent.

§. 2. Horum quæ sit naturalis & occulta qualitas adversus morbos nonnullos humani corporis, gravissimos sæpè ac desperatissimos in genere nos docent tum Aquæ minerales, tum Medicamenta metallica ac mineralia. De Aquis *Seneca* narrat *Lib 3 Natt. qq. cap. 1. Quædam oculos, quædam nervos juvant, quædam inveterata & desperata*

 a medi-

à medicis vitia percurant: quadam medentur ulceribus, quadam interiora fovent potu, & pulmonis ac viscerum querelas levant: quadam supprimunt sangvinem; tam varius singulis usus, quàm gustus est. Æratæ scilicet prosunt oculis, sulfuratæ nervos molliunt & excalfaciunt, proindeque medentur chiragræ ac podagræ, aluminosæ vulnera & ulcera sanant, salsæ alvum turbant, pituitâ trahunt, ac pituitâ consumtâ ventriculum lædunt & intestina corrodunt, nitrosæ fœminas reddunt fœcundas, ferratæ utiles sunt ventriculo, lieni, renibus. Memorabiliter EXC. SPERLING. *DISP. De Elementis A. 1646. 20. Aug.* habitâ: *Mineralium aquarum tanta est vis, ut homines ex ipsis mortis faucibus eripiant. Ventriculum confortant, appetitum excitant, obstructiones viscerum aperiunt, lapides in vesicâ & renibus frangunt, vulnera & ulcera inveterata sanant. Et ut verbo dicã, talia præstant, quæ miraculis videntur quàm proxima. Causæ tantarum rerum non in alteratione Aquarum, sed in Mineralium commistione quærendæ. Spiritûs metallici ut subtilissimi, sic potentissimi sunt.* Ubi & suam de Fontibus Hornhusanis sententiam ponit ac exponit. Qui idem videndus est hanc in rem *Instit. L. IV. c. 3. Q. 6. & Exercit. Physicar.* nondum editarum *L. IV. Exerc. 3. §. 6.*

§. 3. Ita mineralium Chymicè præparatorum & arte mitigatorum quanta sit in medicinâ utilitas, nôrunt ejus Antistites. Etsi quamvis enim ipsa per se naturæ nostræ inimica sint, nec ab eâ superari possint, tamen chymicâ curâ vis nociva omnis tollitur, & arsenicum ipsum, præsentissimum aliàs venenum, noxam omnem deponit, Mercurius quoq; in lue venereâ, aut alio graviori morbo curando feliciter adhibetur. Duro enim nodo durus quærendus cuneus. Quid? quod nec opus est, ut â naturâ vincantur, & in substantiam corporis nostri vertantur. Medicamenta quippe sunt, non nutrimenta: quorum illa mutant nos, hæc mutantur à nobis. *Quis hodie medicorum* (quærit Coryphæus ipsorum SENNERTUS *De Cons. & Diss.* cap. XVIII.) *nisi qui forsan eum nunquam vidit, spiritum vitrioli non usurpat? Ita spiritum & flores sulfuris, spiritumq; salis plurimi in usu hodie habent. Quis nescit, quantum medicamentum à chalybe præparata ad viscerum obstructionem, cachexiam, & alios morbos tollendos à pluribus dogmaticis commendentur. Nitrum præparatum, quod Sal prunellæ appellant hodie, in anginâ febribusq; ardentibus tollendis felicissimè usur-*

usurpari, pauci ignorant. Quanquam & hic persæpè rei optimæ pessimum abusum contingere posse haud eamus inficias. *Novi non ita pridem* (scribit idem ibidem) *duos infantes oleo destillato succini, alias si rectè usurpetur bono, necatos à vetulis duabus fuisse. Alteri enim infanti vix ante decem dies in lucem edito, cum vetula olei destillati succini aliquot guttas propinasset, toto corpore pustulæ magnæ eruperunt, ac si aquâ fervente perfusus fuisset, idemq; paulò post exspiravit. Alterum verò paulò adultiorem, cum idem oleum ei exhibitum fuisset, continui vomitus & alvi dejectiones afflixerunt, tandemq; interemerunt.* Medium tenuêre beati: & opus hic inprimis est, ut *eorum quæ miscentur, medicamentorum vires*, ex CONSENSU AC REPUGNANTIA *mutuâ notæ sint*, monente eod. Sennerto c. l. At hæc fortasſis aliquantum ultra crepidam, qui contemplamur, non operamur. Quocirca specialiùs paulò Mineralia considerare adhuc juvabit, & ea generatim dispescere in Metalla, Mineralia Media, & Lapides.

§. 4. METALLA sunt Aurum, Argentum, Æs seu cuprum, ferrum, stannum & plumbum, quæ hoc ipso ordine ac numero recensentur versu Biblico Numer. XXXI. 22. Dividi ea solent in Perfecta & Imperfecta. Quæ locutio comparativè sumta suam meretur laudem; absolutè accepta jugulatur hoc *Scaligeri* Ex. CVI. 2. *Unaquæq; species sibi pura & perfecta est, præsertim si ad genus referatur. Quare non licebat tibi per ista secare genus sic: metallum aliud perfectum aliud imperfectum. Quod enim imperfectum est, in nullâ specie vel reponitur, vel exsistit. Cujuscunq; enim rei essentia est indivisibilis, Essentia verò sola perfectio est.* Rex & caput metallorum aurum est, ob substantiæ tenuitatem & durabilitatem. Unde longè alio sensu plumbum Rex metallorum appellatur, ut stannum Tyrannus eorum. Quia scilicet plumbum, cum puriora efficit ac meliora Metalla cetera, perit pro eorum salute, quod maximum est optimi Regis argumentum: stannum autem omnia metalla putrida ac fragilia reddit, nec potest ab illis separari, cum semel confusũ fuerit, interprete *Bodino Theatr. Nat. L. 2. p. 264.* Consensum habet aurum cum Sole, Rege Planetarum, unde & sub Solis Charactere Chymicis repræsentatur. Consensum etiam habet mirificum cum corde nostro. Resolutum namque potabile redditur & spirituosum evadit, ac sic cor auri virtute & qualitate occultâ egregiè confortatur. Quid-

quid contrà moliatur *Scaliger Exerc.* CCLXXII. qui hanc doctrinam fœdas nugas vocat, & humanum sanguinem anteponit: refutatus eo nomine DN. SPERLINGIO Instit. L. VI. cap. 7. Q. 2. Hinc & nata dubio procul vulgaris opinio, digitum annularem ideò ornari annulo aureo, quia nervus quidam tenuissimus ab eo, in sinistrâ cumprimis manu, ad cor transmittatur. Videatur *Gellius lib. 10. Noct. Atticar. cap. 10. Pierius* ait *l. 41. Hierogl. cap. de annulo: Erat digitus minimo proximus cordis indicium, ideò annulo tanquam coronâ ornabatur. At fabulæ sunt. Nullus nervus à digito hoc ad cor protenditur*, inquit Præclariss. DN. SPERLING. *Anthr. lib. 2 part. 2. cap. 13. Q.* 2 Affirmatur nihilominus à nobis & confirmatur auri cum corde convenientia, etsi hæc sententia infirmatur. Scitè *Basso* ait, *L. 1. de Cælo Int. V. art. 7. Sol est veluti cor inter Planetas, cordisq; naturam participans, cordi idcirco familiarissimus, quippe qui est vitæ principium. Hinc aurum cordi aamodum benignum atq; amicum, Chymici Solem vocant, propter naturæ analogiam.* Qui & ibidem statim de argenti cum Lunâ & cerebro consensu hæc subjicit: *Luna Regio frigida humidaq; habetur. Estq; in Cælo idem quod cerebrum in corpore animalis; unde Luna cum cerebro plurimum concordat, cui manifestum dat incrementum. Atq; inter metalla Luna argentum sibi vendicat, [illegible] quod & cerebro auxiliari Chymici putant.* Vires auri alias in medicinâ, tùm integri & non resoluti, tùm Chymicè præparati, perpendit Dn. D. Sennertus sub finem Cap. XIX. *De Cons. & Diff.* ubi & ex Wendlero & Zachariâ â Puteo miras Historias recitat de resolutione auri in ventriculo gallinarum; quas repetit DN. SPERLING. Tractatu de Calido Innato, extremo.

§. 5. Si cuprum & ferrum conjiciantur in eandem fornacem liquatoriam, nunquam ferrum potest liquefieri ob præsentiam cupri, cùm tamen ferrum aliàs liquefiat haut difficulter, cum cuprum è fornace extrahitur. Fermè ad eundem modum, quo lac nunquam in butyrum coagulatur, si saccarum conjiciatur in vas coagulatorium, aut quo mellis aliquid, vel saccari, aut salis, lacti pingui admistum, prohibet coagulationem in ventriculo, & caseosum omne discutit. *Kerkermannus* inquit *Curs. Philos. Disp. XI. Probl. 5. Scribunt metallurgi, æs ferro adeò adversari, ut si æris lamina in eandem cum ferro*

ferro fornacem conflatur, ferrum potiùs in cineres redigatur, quàm ut liquefiat. Agricola magnus ille metallicæ doctrinæ autor Lib. II de re metall. Si particula alicujus instrumenti ferrei casu in catinum inciderit, aut ab homine malevolo injecta fuerit, æs antequam ferrum consumatur, confici non potest. Directè tamen in contrarium it *Jonstonus Admirandis Fossil.* c. XXXI. ex Minderero hæc referens: *Ferrum omni cupro amicissimum est, ut simul juncta mutuo sese amplectantur. Poëtæ Veneris & Martis implicavere fabellis.* Adeunda hîc Experientia, optima litium talismodi arbitra. De plumbo ita *Magirus Comment. Phys. Lib. V. cap. 1. p: 412. mala sunt vasa plumbea, imo ipsum plumbum inimicitiam gerit cum omnibus metallis.* Et summatim totam illam Chymicorum sententiam, quâ ob qualitates viresque consimiles aurum tribuunt Soli, argentum Lunæ, æs seu cuprum Veneri, ferrum Marti, stannum Jovi, plumbum Saturno, argentum vivum Mercurio, haut omninò deserendam existimamus, non nescii quidem eorum, quæ in adversam partem *Scaliger* disputat sat acerbe *Exercit. CVI. t.* Optimi sunt Naturæ mystæ novi isti, ut multis videntur, Æoli, & plus solidæ Physicæ nobis offerunt, quàm alii ἐκ βίβλυ κυβερνῖται. Ut haut absque gravissimis rationum momentis Venerandus Academiæ Nostræ Senior Dn. D. JACOBUS MARTINI Physicæ suadeat adjungere contemplationes Chymicas. *Sine his enim* (inquit *in Pædiâ Lib. V. cap. VII.*) *nemo rerum naturalium solidam eruditionem sive cognitionem sibi acquiret. Multa enim sunt in naturâ, quæ per* σύγκρισιν & διάκρισιν *Chymicam longè accuratiùs inquiruntur, demonstrantur & evolvuntur, quàm nudis theoreticis contemplationibus.* Et testatur ubivis magistra rerum Experientia, Cœlum in hæc inferiora agere indesinenter, non solùm calore & lumine, sed & occultâ influentiâ. Cùmq; Stellæ qualibet peculiares vires habeant, hinc & aliæ cum aliis rebus sublunaribus majorem vel minorem Sympathiam aut Antipathiam obtinent. Utut imbecillitas intellectus nostri nequeat ubique tùm τὸ ὅτι, tum τὸ διότι sitibundo veritatis animo exprimere atque exponere.

§. 6. MINERALIA MEDIA dicuntur, quæ mediam quandam inter Lapides & Metalla naturam habent, puta species terræ, salis, sulfuris, bituminis. *Ubi dolendum* cum Præclariss. Dn. Professore ac Præceptore Nostro SPERLINGIO *Instit. Lib. VI. cap.*

 8. Ex-

8. Explic. Gen. quod vix à millesimo qui Physica sibi vindicant cognitionem, præsens attendatur materia. Ita necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus. Naphthæ quanta sit cum ignibus cognatio, quanta item calcis cum aquâ dissensio, tactum ibi, ubi de Elementis actum. De priori Dn. SENNERTUS ita *Epit. Phys. Lib. V. c. 3. p. 403. Reverâ Naphtha est Spiritus bitumineus, videturq; se habere ad bitumina, sicut Spiritus vini ad vinum, & Spiritus terebinthinæ ad terebinthinam.* De posteriori ita in *De Cons. & Diss. cap. XIX. p. 410. Cum in calce vivâ partes seu sulfureæ seu igneæ quædam insint: ea aquam affusam, ut sibi adversissimam, ferre non valentes, unitis viribus sese hosti opponunt & erumpunt, unde calor, ebullitio, imò flamma sæpe excitatur, quod etiam Jul. Cæsar. Scal. Exerc. 5. s. 8. admittit.* Hic nitri ac sulfuris Antipathia nos præ cæteris in admirationem rapit. Sulfur accensum in superficie nitri hinc inde transcurrit, nec in societatem admittitur. Tota vis pulveris tormentarii à nitro provenit: cum verò sulfur sive vulgare, sive minerale ac metallicum accedit, nitrum subitò & cum impetu prorumpit, hostem fugit, ampliorem locum requirit, aërem frangit, & sic fulmineos illos fragores excitat. Et hinc etiam fulminis ac tonitru Natura optimè datur expedita. Effluvia nitrosa ac sulfurea à terris ad nubes deferuntur, ubi conjuncta se tamdiu tolerant invicem, usque dum sulfur flammam concipit. Factâ inflammatione aufugit nitrum & hostem aversatur. Sequitur ingens fragor ex subitâ aëris percussione, & violenta ignium ejectio ex nitri ac sulfuris accensi pugnâ. Eleganter hanc rem exprimit *B. Sennertus Hypomn. I. Cap. V. p. 36. Quanta vis pulveris illius pyrii sit, nemo ignorat. At ea non aliunde provenit, quàm ex antipathiâ sulfuris & nitri. Ex eadem proveniunt fulgura, tonitrua & fulmina. Si enim in globo terræ vapores sulfurei, nitrosi, aquei, simul in altum elevantur, equidem in infima regione aëris, quâ is nos ambit, cùm in minutissimas atomos sint dispersi, nullam pugnam instituunt: at cùm in nubibus atomi igneæ igneis, sulfureæ sulfureis, nitrosæ nitrosis, aqueæ aqueis conjunguntur, tandem utrinq; viribus sumtis pugnant impetuosè; hostemq; & fugiunt & protrudunt. Hinc ignis aquam fugiens è nubibus emicat: & pugnâ illâ fragores & tonitrua excitantur, Spiritusq; ille igneus & sulfureus è nubibus erumpens, obvia quæq; liquefacit,*

cit, incendit vel prosternit. Conferatur omninò DN. SPERLING. Instit. L. V. c. VII. Q. 1. Eadem nitri ac sulfuris contrarietas in causâ est, quod Chymicè resolutum aurum sæpè tam spirituosum evadat, ut si vel ferreâ agitetur spatulâ vel alio incalescat modo, fulminet cum sonitu, & potentius ejus unus scrupulus operetur, quàm dimidia pulveris tormentarii libra, adeò ut pauca grana perpendiculariter centrum versus lata mensam ligneam transverberare valeant. Spiritus enim nitri cum auro se unit ac fundum petit, qui si incalescat, sulfuris auri percipiens præsentiam, ei sese opponit, vires conjungit, & impetu tacto ac cum strepitu ingenti detonat ac prorumpit, *V. Jonston. Admir. Fossil. c. XXVI. ex Sennert. De Cons. & Diss. cap. XIIX.*

§. 7. Communiter quidem sulfuri ac nitro affinitas fermè aliqua & Sympathia attribuitur, ita ut & conjungi ament. Cui argumento potissimum dicunt esse inflammationem nitri, quâ ad ignis conspectum tanta promtitudine flammam statim concipiat, ut & cum eâ in fumum ac aerem exhalet. Unde sollicitè causam inflammationis hujus quærit *Nollius Physic. Hermet. L. 8. c. 7. & Basso De mat. L. 1. Int. 2. art. 2.* Quin & ipsum DN. D. SENNERTUM ei inflammationis opinioni favisse, testantur hæc verba *Epit. Phys. L. V. c. 2. p. m. 396. Nitrum postquam semel flammam concepit, subitò totum cum impetu deflagrat, & quia inflammatum quo prius concludebatur loco capi nequit, ac præterea nitrum ac sulfur hostes quasi sunt, fulminei istius impetûs causa est.* Et illa *L. IV. c. 2. p. 314. Sulfur quidem promte flammam concipit, sed tandem deflagrat, nitrum verò non ita facile inflammatur, sed semel accensum subito & quasi uno momento deflagrat.* At enimverò rectiùs longe nitrum statuitur ignem flammamque fugere, ac ab hoste resilire protinus: præsertim si mistio accurata fiat, & unum in alterum per minima penetrare possit. Non secus ac ignis in pinguedine accensa aquam fugiens loca petit altissima, & ipsas sæpè ædes accendit. Unde ipse Experientissimus DN. SENNERTUS aliter cum die edoctus posteriores suas cogitationes super hoc negocio ita protulit *De Cons. & Diss. Cap. XIX. p. 409. De Nitro hoc monendum, primo vulgò quidem statui, id inflammabile esse, sicq; vulgo docent Philosophi & Peripatetici & Chymici, atq; ipse*

hactenus etiam in eâ fui sententiâ. Verum nunc puto se aliter rem habere, & nitrum non accendi, sed potiùs ab igne aufugere, illumq; maximè aversari, & contrà ignem nitrum. Etenim si ferro candenti injiciatur nitrum, non accenditur, sed saltem exhalat. Si verò in carbonem ignitum injiciatur, tùm flamma equidem excitatur, non quod nitrum inflammetur, sed quod ignis, cum in carbonem nitrum sese penitùs insinuat, nitrum fugit.

§. 8. Succini Sympathia cum paleis, straminibus, ferrique aut ligni ramentis haut ignota est. Quæque tùm imprimis se magis magisq; exserit, cùm fricatur paulum & excalescit, ut Spiritus in eo contenti hoc facilius & felicius posşint egredi. Unde Plutarchus in Quæstionibus Platonicis statuit, inesse Electro quippiam flammeum, aut Spiritûs habens naturam, atque hoc attritione superficiei reclusis meatibus emissum attrahere corpora. *Sennertus* de eo *L. V. Epit.* c. 3. p. 407. *Panno ubi fricatur, paleas & scobes siccas ad se trahit, per exeuntem spiritum.* Et *Bartholinus Phys. Special. Part. III. L. 2. c. 6. Æthiopis herba, si Plinius verus, solo attactu massas ferreas evellit. Matthiolus de Lunariâ seu ferracavallo scribit, quod soleas ferreas ab equis transeuntibus extorqueat, Os milvi piscis aurum tradere autor est Simplicius, cui subscribit Scaliger.* (Verba Illustris viri, quæ Bartholinus alludit, hæc sunt ad Cardanum notabilia valdè *Exerc. CII, 5. At enimverò minùs civiliter facis, qui Simplicium mentiri scribis, quod aurum à milvi piscis osse trahi prodideris. Quippe ais: mortui piscis mortuum os. Non aget igitur: quando omnis actio ab animâ. Cum igitur non omnem esse ab animâ nunc didiceris: ei credere te decuit viro & probo & sapienti, & in rerum naturâ exercitato: qui quod expertus esset, bonâ fide scriptum reliquerit. Non quia falsa sentias tu, mendacii tantum Philosophum insimulare, sed quia ille vera dixerit, tibi ipsi non credere debuisti. Sanè adversùs te dirigitur ea Philosophi divina cum censura, tùm castigatio: ubi veteres ait opinionibus suis Naturam detorsisse, non opiniones accommodare Naturæ voluisse.*) *Paleas trahit succinum, imò ramenta ferri, auri, argenti, ligni, fila, crines, stramina, modo attritu calefiat. Ita enim Spiritus exsuscitantur.* Quin & lactucæ viridia folia, etiam recentissima, & appulisse & adhæsisse succino, autor est Scaliger Exerc. CIV. 12. Videatur eruditus ac pro-

ac prolixus discursus de succini ut & aliorum Corporum Electricorum attractione apud *Gvilielmum Gilbertum lib. II. De Magnete cap. 2.*

§. 9. Nec tacendus Terræ Lemniæ sive sigillatæ dissensus occultus cum veneno & morbis malignis: cui similis in Silesiâ Nostrâ effoditur, & Terra sigillata Strigensis, Chymicis axungia Solis, appellatur. Quemadmodum etiam Bolus Armenus & Toccaviensis non tantùm instar butyri in ore liquescere traditur, sed & ob exsiccationem & adstrictionem insignem ad dysenteriam & alvi profluxiones & sangvinis exspuitionem & catarrhos ac ulcera pulmonis feliciter adhiberi, pesti quoque totâ naturâ adversari. Ambra odorata insignem vim habet Spiritûs animales & vitales corroborandi. Cum cerebro itaq; & corde consentit. Spiritus contrà chalcanti seu Vitrioli cum Spiritu tartari antipathiam exercet. *Uterq; illorum acutissimus & acidissimus. Si misceas, utriusq; acrimonia perit, & liquor fit insipidus*, inquit *Jonstonus cap. VI.* Ex quo fundamento Boëtius de Boodt in egregio opere de Gemmarum & lapidum Historiâ (ita vocat DN. *Sennertus Epit. L. V. c. IV. extremo*) L. II. Cap. 193. svadet, per horam integram ante vel post Lapidis Bezoar adsumtionem ab omni potu alio ægrum debere arceri, ne operatio lapidis hebetetur. *Nam* (ait) *rerum sæpè occultus dissensus est, nec homini notus, & talis, qui effectum optatum impediat & prohibeat, quem utraque res seorsim usurpata produxisset.* Quibus verbis clarandis hæc Sennerti insigniter faciunt *Cap. XIIX. De C. & D.* pag. 359. *Spiritum vitrioli sine damno propinari posse, notissimum est: exhibetur & nitrum sine damno. At si spiritus nitri & vitrioli misceantur, fit inde aqua fortis, metalla omnia, præter aurum, corrodens; eidem si Sal armoniacus addatur, fit inde aqua Regia aurum solvens.*

§. 10. Sal cum igne dissensum fovet. Hinc igni ingestus crepat, quia ab igni attenuatus spirituosam induit naturam (*ἐκπνευματούμενον*) violentèque exsiliens ignis impetu salem rumpit, tradente *Aristotele Sect. XI. Probl. 26. & Scaligero Exerc. XXIV.* Idem mirabili Qualitate gaudet non putredinem tantùm abarcendi à carnibus, sed & generativam facultatem promovendi. Hinc capræ ob salem comestum salaciores evadunt. Canibus alendis quinavant

vant operam, ſalſis carnibus eos paſcunt, ut reddant ad gignendum alacriores. *Agros etiam* (ſcribit *Jonſtonus* c. IV.) *illius conſperſu feraces redditos animadverſum. Obeſæ verò mulieres moderato illius in condimentis uſu, fœcundæ fiunt. Abſtergit enim uliginem, matricemq; plus ſatis udam exſiccat, ut ſemen cohæreat. Viris quoq; lumbos incitat, & movet tentiginem, Lemnius de Occultis l. 2. cap. 36. Hinc Ægyptii ſale non uſi. Fœcunditati auxiliari murium in navibus copia & continentes mulierum ſalinarum pruritus argumento eſſe poſſunt.* Porcellanæ tandem cum veneno Antipathiâ meritisſimo ipſius etiam memoratur. Maſſa eſt ex gypſo, ovo trito, putamine locuſtæ marinæ & aliis ſpeciebus compoſita, quæ probè ſtipata ac denſata per octoginta annos ſub terrâ in loco aliquo ſecretiori reconditur, & tunc ex illâ precioſa ac tralucentia vaſa conficiuntur, quibus ſi venenoſi quidpiam immiſſum aut propinqvum ſit, mutatione ſubitaneâ pellucidiatis id produnt, & illicò rumpuntur. Unde Turcici Imperatores, itemque Baſſæ, Sangiachi & alii ſatrapæ ſemper è duplicatis comedunt vaſis, argenteo inferiore, & Porcellaneo ſuperiore, docente ita *Gvidone Pancirollo JC. Novor. Repertor. L. 2. tit. 2.*

§. 11. Nunc ad LAPIDES ordo Diſputationis volvitur. Quos duûm facimus generum, Precioſos ac Vulgares. *Precioſi* GEMMÆ ſunt. Arca arcanorum reſeratur nobis hìc, & ditisſimus ſuperbientis ac luxuriantis Naturæ Theſaurus. Stellas ſuas cœlum habet innumero floſculorum fixorum ac vagorum, amicorum ac inimicorum numero conſitum. Nec terra minùs ſua oſtentat ſidera, Adamantem, Smaragdum, Sapphirum, Carbunculum, ceu precioſisſima divini Thaumaturgi ſpecula ac ſpectacula. Hic reverà coacta in arctum Naturæ majeſtas eſt. Hic Plinianum illud locum habet L. XI H. N. Cap. 2. *Turrigeros Elefantorum miramur humeros, taurorumq; colla, & truces in ſublime jactûs, tigrium rapinas, leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis quam in minimis tota ſit.* Quantitatis nimirum nulla eſt efficacia, ſed omnis virtus, omnis operatio à Qualitatibus. Soboles materiæ ignava eſt & inefficax: proles formæ actuoſa & operoſa. Hinc ſæpe regnat in exiguo præcellens corpore virtus: & plurimi *ingentes animos anguſto in pectore verſant*, quod *Maro de* apibus canit *IV. Georg. 83* Doctisſimè *Andreas Baccius Tractatu de Unicornu: Quo purior & ſplendidior eſt Subſtantia corporum natura-*

naturalium, eò plures virtutes obtinent. Gemmarum enim pretiosarum compositio si spectetur, animadvertemus in illis plurimum formæ, parum vero materiæ reperiri, hinc nempe puræ & splendidæ sunt, & naturæ stellarum similes, & tales a quibus virtutes mirabiles prodeunt, & in exiguo pondere exhibitæ tantum præstant, quantum aliæ res in magnâ quantitate præstare non possunt. Movit hæc Gemmarum dignitas & compar utilitas quovis tempore illustria capita, ut accessionem sibi suæ majestatis ab illarum fieri haut frustrà crediderint, proindeque miro illarū studio ac ardore semper flagraverint. Mithridates Ponti Rex inter cæteram supellectilem quatuor millia poculorum ex onyche gemmâ habuit. Nonius Romanus Senator tanti fecit gemmas, ut propter opalum quem habebat, viginti millibus sestertiûm æstimatum, maluerit Patriâ & Senatoriâ dignitate privari, quam petenti Antonio summo Rom. duci eum tradere. Invictissimi Rom. Imperatoris Rudolphi II. Corona aurea Imperatoria aliquot centenis aureorum millibus constans, ex adamantibus, unionibus, Jaspidibus, Rubinis aliisque gemmis, quarum præcipua pyri muscatellini magnitudine, ac omni decoris specie absolutissima, pendens centatia triginta aureorum millibus emta dicebatur, constitit. Idem Mensam gemmeam habuit, in quâ fabricandâ multis annis, multisque impensis desudatum fuit. Gemmæ sibi invicem per commissuras tàm affabrè unitæ, silvarum, arborum, montium, fluminum, civitatum, nubium, animalium figuras ita exactè referebant, ut depictæ ad vivum viderentur, & utrum naturæ artificium magis, an artificis diligentiam solertiamque admirareris, in ambiguo relinquerent. Ut meritò Octavum mundi Miraculum vocari meruerit, ac cum Templo Dianæ Ephesiæ absque injuriâ comparari: recensente sic & censente oculato teste Sacræ Cæs. Majestatis Medico Excellentissimo Anshelmo Boetio de Boodt in De Gemmis & Lapidibus Dedic. & Lib. II. cap. 37. item cap. 103. Nobis scrinia Magnatum excutiendi in præsenti neq; facultas neq; voluntas est: quantum tamen materiæ nostræ accommodum, ex Doctorum Virorum monumentis ac experientiis (hæ enim hasta Juvenum) in medium adducere haut grave erit.

§. 12. Familiam ducat Adamas, *diu non nisi Regibus & iis admodum paucis cognitus,* asserente *Plinio L. XXXVII. c. 4.* Tribuuntur ei duæ

 propri-

præprimis proprietates: quarum altera remotior paulò & communior, altera instituto nostro propior. *Incudibus enim deprehenditur*, per laudatum Plinii locum, *ita respuens ictum, ut ferrum utrinq; dissultet, incudesq; etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura & nunquam incalescens, unde & nomen indomita vis græcâ interpretatione accepit.* At verò *aurifabros si adimus, adamantem malleo in scobem redigi, & ferreo pistillo atteri testantur. Igni appositum hora spacio suum amittere splendorem, & flammâ diuturnâ in calcem resolvi ajunt*, dicit Dn. SPERL. *Inst. L. VI. cap. VI. Q. 1.* Et *Bodinus Theatro Nat. Lib. 2. p. 231. Quid habet Adamas, ut gemmis omnibus præferatur? Nihil video præter indomitam duritiem & clarissimum splendorem oculos præstringentem. Ignibus tamen cedit & in calcem redigitur flammâ diuturnâ.* Suffragantur *Conimbricenses Sect. IV. Problematum ad calcem L. IV De Cœlo: Quod adamas ab igni calefiat, imo & ignescat, & malleorũ ictu ac minore etiam vi defringatur, certâ experientiâ constat.* Et *Ansbelmus Boëtius L. 2. cap. 4.* scribit: *Malleum & incudem innoxiè Adamantem ferre tradit Plinius, verùm id experienti falsum deprehenditur, cùm nullus hoc seculo inventus sit, qui mallei ictu in partes non dissiliat, ac in pollinem redigi possit.* Qui idem L. 1. c. 24. Rotulam quandam Gemmariorum delineat, cujus ope adamantes plures continuâ & multiplici circumrotatione tandem excavari possint. Et L. 2. cap. 6. inquit: *Novi medicum familiarem, qui jactabat se singulari artificio cuspidi acûs imponere facilè posse adamantem, ac ungvibus quemvis adamantem absq; alio instrumento vel materiâ quam quæ à corpore humano sumitur, posse in squamas specularis lapidis instar dividere.* Possemus quidem Plinium hîc salvare fortean, qui de Indico & Arabico tantùm Magnete (nam sex ejus genera constituit) ea proponit, de Siderite verò, ferrei splendoris, exsertè pronunciat, eum ictibus frangi, & alio adamante perforari posse: quia tamen hodie unum tantùm genus adamantis habetur, id videlicet, quod tincturam recipit, *Boetio* demonstrante *L. 2. cap. 2.* subscribimus meritò verbis *Laurenbergeri Acerrâ Cent. 1. Hist. 92.* Unter den Edelgesteinen ist der Diamant der fürnehmste / von dessen Härtigkeit schreibet und saget man / daß er durch keinen Hammer oder Amboß kan entzwey geschlagen werden / sondern wann er in Bocks-Blut geleget werde / so erweiche er. Solches aber ist falsch. Denn die Goldschmiede können den Diamant mit einem geringen

geringen Hammerschlag zu Stücken brechen / und wann er auch zweytausend Jahr im BocksBlut lege / wird er doch nicht weich.

§. 13. Quibus posterioribus verbis altera statim Adamantis conditio in memoriam nobis refricatur, quâ ex Antipathiâ quâdam naturali ab hircino sangvine solvi ac comminui perhibetur. Quam tanti facit *Plinius l.c.* ut id quod totis suis voluminibus docere & mandare conatus fuerat *de discordiâ rerum concordiâq; , quam Antipathiam ac Sympathiam appellavêre Græci*, non aliter clariùs intelligi posse profiteatur. *Siquidem* (ait) *illa invicta vis duarum violentissima naturæ rerum ferri ignisq; contemtrix hircino rumpitur sangvine, ac ne aliter quàm recenti calidoq; macerata, & sic quoq; multis ictibus, tunc etiam præterquam eximias incudes malleosq; ferreos frangens. Cujus hoc ingenio inventum? quovè casu repertum? aut quæ fuit conjectura experiendi rem immensi secreti, & in fœdissimo animalium omnium? Profectò muneris talis inventio hominis est. Nec quærenda in ullâ parte naturæ ratio, sed voluntas. Magirus* etiam eò inclinat *Comment. Phys. L.V. c.2.* p.423. cum ait: *Magnum hoc esse Naturæ miraculum, miramq; hanc Adamantis ac hircini sangvinis vim & dissensionem ex occultâ causâ promanare, nulli dubium esse debet.* Et *Franciscus Rueus De Gemmis Lib. 2. cap. 15. Non sine magno naturæ miraculo fit, ut vis illa Adamantis indomita, quâ scilicet suarum partium integram contra ferri ignisq; injuriam connexionem pertinaciter tuetur, ab hirci sangvine calido quidem & recenti ita afficiatur, ut tandem conniveat & atteri patiatur. Indeq; seposito omni superbo, quo ante gloriabatur, fastu, malleis & incudibus cedat, ut sese in minimas etiam partes frangi, mangonum usui, permittat, qui iis postea fragmentis nullam duritiem non superant.* Acutissimus *Scaliger* titubat hîc, & difficultate rei territus tandem ex rarâ modestiâ subjicit *Ex.* CCCXLIV. 8. *Non tibi nunc dissolvam debitum: sed bonâ fide interea pignori tibi relinquam ingenui candidiq; animi verbum hoc: NESCIO.* Stimulant hæc avidam sciendi mentem & percellunt non leviter, cùm miracula sibi tanta proponi audit. At enimverò nimiopere vereor, si ad Experientiæ stateram Controversia tota exigatur, ut fabulæ obvertantur nobis, & quod in Physicis non infrequens, causa exquiratur rei, quæ nunquam est, nec futura est. Si bis mille annis sanguine hircino Adamas imbueretur, nullatenus mollesceret, dicebat suprà Laurenbergerus. Quod si tamen secus quid alicui observatum,

distinguendum putamus cum Dn. SPERL. inter continens & inter contentum. Hircus nempè cum herbas devoravit solutivas; sanguis hircinus adamantem solvit. Hinc expresse *Rueus* ipse *l. c. Fatiscit hircino sangvine Adamas, maximè si aliquot ante dies hircus petroselino, silere montano & vino sit educatus.*

§.14. Antipathiam Adamantis cum Magnete expendemus in Controversiâ Magneticâ. Nunc de Sympathia ipsius, quâ tincturam Chymicam, quam aliæ Gemmæ diaphanæ omnes respuunt, hæc ad se promtissimè rapit, sibique intimè unit & applicat, hæc adhuc ex Boëtio de Boodt arcessere juvat, quæ totam hanc nostram De Consensu & Dissensu materiam mirificè probant ac juvant. *Existimo* (inquit Lib. 2. cap. 1.) *mutuum illum & amicum complexum propter similitudinem aliquam quam habent in materia & qualitatibus (hoc est totâ utriusq; naturâ) fieri. Natura enim Natura gaudet, & similia similibus delectantur & conservantur. Quæcunq; enim similem materiam obtinent, facilè sese mutuò complectuntur & commiscentur. Ob id aquea aqueis, olea oleosis, & mercurialia mercurialibus & sulfurea sulfureis (ut Chymicè loquar) miscentur. Quæ dissimilem habent materiam, non conjunguntur: ita aquea cum oleo commisceri non potest, licet humidum sit, quia calidum est & igneæ naturæ. Gummi cerasorum aquæ misceri ac in eâ dissolvi potest, quod aqueæ sit naturæ. Gummi masticis nequaquam, quia igneæ est naturæ, oleo ob id facilè jungitur, à quo etiam dissolvitur, ut omnia alia quæcunq; igneæ sunt naturæ, & facilè in flammam redigi possunt.* Quæ verò porro circumferuntur de Adamante alia, nugamentis & superstitioni videntur proxima. Cacodæmonibus perhibetur invisus esse maximè, & contra incubos ac succubos, incantamenta item præsentissimum amuletum esse. Gemma reconciliationis dicitur *subtilissimis* quibusdam *amicitiarum conciliatoribus ac potiùs extortoribus*, ut in hoc ipso passu Cardanum Scaliger nominat *Ex.* CXVI. eò quod hostilem demulceat furorem, & viri cum uxore necessitudinem foveat. Scribitur uxoris insciæ ac dormientis capiti suppositus, statim prodere, sit pudica, nec ne? si enim fidelis sit marito, efficere, ut dormiens in ipsius amplexûs ruat, sin adultera, eosdem aversetur, & à mariti consortio quasi fugibunda statim excidat. At præter ac supra vires naturæ hæc sunt, quæ actum generationis nullum vitiosum agnoscit. A Legibus & hominum voluntate discrimen petendum

tendum est inter vitium & virtutem, inter legitimum & illegitimum? Quod idem judicium de Smaragdo etiam esto, qui adulteria prodere dicitur, & insignem cum re venereâ inimicitiam exercere, adeò ut Albertus M. asseveret, Regi Ungariæ cum uxore rem habenti Smaragdum, quem annulo portabat, in tres divulsum fuisse partes, apud *Rueum L. 2. c. 4. Fortassis à nimia calefactione, quæ coitu excitatur, excalfacta gemma subitoq; hiemali frigori exposita, rumpi posset. Sed hoc propter adulterium non fit*, judice *Boodt L. 1. c. 26.* Idem de Turcoide esto, qui de lapsu imminente gestantem præmonere, & aut de colore remittere aliquid & expallescere, aut rumpi fertur: (cujus ipsius mirum experimentum adducit *Boodt L. 2. c. 119.*) Idem de Ætite, qui furem prodere censetur, si quis in pane conditum offerat. Idem de Amethysto, qui vigilantem & principibus gratum efficere memoratur, ac grandinem etiam avertere. Idem de Sapphiro, qui gestatus ab homine impuro & venereo gratiam ac nitorem omnem amittere perhibetur. Aut naturalis causa subest, non moralis, & à vapore ac halitu, qui per poros cutis perpetuò transspirat, facilè deformem colorem nanciscitur (quæ ipsa ratio etiam in Turcoide militare mihi videtur, qui mortuo gestatore suo obscurior apparet, at renovato domino quasi redivivâ sinceritate ac majestate donatur: cujus rei proprias experientias svavissimâ narratione allegant *Rueus L. 2. c. 18. & Boetius L. 2. c. 116.*) aut si majora viribus suis attentare Natura videatur, supernaturalis causa subest, Deus Angelusvè.

§. 15. Adamantem excipiat Jaspis, cujus magnitudinem XI. unciarum vidit Plinius, formatam; inde effigiem Neronis thoracatam L. XXXVII. C. 9. Coloris est nunc virentis & smaragdini, nunc albi & crystallini, nunc sangvinei & purpurei. Rubicundus tamen cum maximè commendatur à dissensu, quem cum sangvine humano è naribus, utero, hæmorrhoidibus & ipsis vulneribus fluente fovet, ita ut ad ejus contactum statim sistatur. Experto credamus *Boetio*, qui ita de se *L. 2. c. 142. Memini me virginem Pragæ curasse, quæ sex annis hæmorrhagia laboraverat ita vehementer, ut vix unquam hebdomada præteriret, quin aliquoties illi sangvis efflueret. Hæc cum nullis remediis juvari posset, a me consilium petiit. Qui prætermissis aliis omnibus, quæ a medicis præscribi solent, utpote quibus ad nauseam jamdiu usa fuerat, Jaspidem, cujus facultas ad hujusmodi Symptomata mihi experientiâ*

perientiâ nomerat, illi commodato do, ut collo appensam gerat. Paret illa, sangvinisq; fluxus illicò sistitur. Gestat per aliquot hebdomadas, nec redit fluxus. Cum itaq; se prorsus curatam opinaretur, deponit gemmam, post paucos dies redit fluxus, iterum appendit Jaspidem, cujus beneficio mox liberatur. Idem Jaspis femori mulierum alligatus menses sistit subitò: quippe sangvis etiam menstruus ab alio haut differt substantiâ, sed accidentibus. Causam rei perscrutanti operosiùs, respondeat *Galenus Lib. 3. meth. c. 7. Cur Jaspis tacto vulnere, unde sangvis prorumpit, eum sistat, nondum novi. Atq; si particulatim cujusq; naturam explorare ad unguem scirem, utiq; qualem fuisse Æsculapium mente concipio, talem me esse putarem.* Multum scilicet in toto mundo præstat *Pax & Bella Naturæ & odia amicitiæq; rerum surdarum ac sensu carentium*, ut vocat *Plinius Lib. XX. Proœmio.* Hæmatites pariter frigidæ, siccæ, glutinantis & adstringentis est facultatis, ideoq; oculis cruore suffusis & lacrumantibus mirè prodest, mulierum profluvia, dysenterias, hæmorrhagias compescit, & cum mali punici succo ad pulmonis ulcera sangvinisque ejectiones mirum quantum confert. Eundem effectum exsiccandi, adstringendi, alvi profluvia, gonorrhæas & menstruorum effluvium, sangvinem item è naribus, hæmorrhoidibus, vulneribus à thorace erumpentibus sistendi, etiam Lapis Ceratites seu ebur fossile habet, vulgò pro cornu Monocerotis habitum. Quin & ad Syncopen, cardiacam passionem & cordis tremorem, Epilepsiamq; non secus facit, quàm ipsum animalis cornu. Ac præsertim ad venena & pestem abigendam præsentissima est antidotus & præstantissima: adeò ut *Boëtius* referat *L. 2. c. 243.* puerum quendam deglutitâ plumbeâ pilâ, quæ multos ante annos sub aranearum telis latuerat, cùm extemplò ventre ita intumuisset, ut crepaturæ periculum adstantibus videretur adesse, ebibito cornu hujus fossilis scrupulo, itemq; mulierem intoxicatam, ventre utris modo inflato, hausto ejus pulvere, præter omnium exspectationem subitò convaluisse. V. & *DN. SENNERTUS Epit. L. V. c. 4.*

§. 16. Nec minus eadem adversus venena qualitas in aliis quoque Gemmis conspicua est. Lapis Bezoar (de quo *Caspar. Bauhinus* integrum tractatum edidit) qualem Rudolfus II. ovi anserini magnitudine aut paulò majorem habuit & ex eo poculum confici jussit, teste *de Boodt L. 2. c. 191.* generatur in ventriculo hirci aut capræ cujusdam

silvestris

silvestris Indicæ, aut potius in receptaculo quodam seu marsupio fasciæ modo confecto, & villosâ carne constante ventriculo adhærente, c. 192 omnium animalium venenatorum ictus ac morsus sanat, foris si alligetur sinistri lateris brachio, ut nudam cutem attingat, cor tuetur, ne à veneno aut aëre pestilente inficiatur; apertis carbunculis pestilentibus si inspergatur, venenum omne exsugit, intrinsecus pulvis ejus propinatus cordis omnibus affectibus mirè auxiliatur, ad Epilepsiam morbumq; sacrum sive adultorum sive infantium mirificè juvat: pestem febriumq; pestilentium virus, herpetes ac papulas malignas producit citò ac miraculi instar compescit & extinguit, item adversus napelli & arsenici virus conducit insigniter: c. 193. Reo cuidam Pragæ drachmam unam pulveris napelli oblatam scribit Claudius Richardus, & cum jamjam deficeret, oblatis quinq; granis lapidis Bezoartici in vini modico, continuè fuisse alleviatum, Viennæ item furem bolum ex Arsenici pulverisati drachma dimidiâ ac elapsâ fermè horâ integrâ, grana decem Bezoar exhibita fuisse, quibus exhibitis statim melius habere cœperit: allegante *Henrico Salmutho ad Pancirolli ICti Novor. Repert. L. 2. Tit. 3.* Perlæ itidem, præparato ex iis pulvere aut aquâ in febribus malignis ac pestilentibus utilissimæ sunt, & vitalem facultatem cordis ita corroborant, ut non facilè â veneno affici possint. Contrà eædem aceto solvuntur & in liquorem rediguntur. Quod ex Cleopatræ facto constat, quæ cœnam preciosiorem Antonio ostentatura, margaritam aceto dissolutam deglutivit, quæ centies sestertiûm, hoc est, Budæo computante, ducentis quinquaginta millibus aureorum æstimata fuit.

§. 17. Selenites lapis Sympathiam cum Lunâ fovere asseritur. Noctu invenitur plerumq; Lunâ crescente, imò imaginem Lunæ corniculatæ concipit, & eam in dies singulos crescentis minuentisque numero reddit; adducente *Jonstono Admir. Fossil. c. 16. & Conimbric. in L. 2. De Cœlo c. 3. Q. 1. art. 2. p. 205.* ex Plinii L. XXXVII. cap. 10. Quorsum & ista spectant, quæ alibi ex *Zanardo* attulimus *Univers. Cœlest. Part. 2. dub. 56 p. 76. Cardanus asserit in Quadripartitum Ptolemæi, Leonem X. tenuisse lapidem, qui pro varietate luminis & influxûs Lunæ ex cæruleo in candidum transibat; & Clementem VII. alte-*

 rum,

rum, cujus macula juxta Solis motum singulo die circumacta oriebatur & occidebat. Sed fortasſis & hîc quædam majora vero. Quis tam robuſtus ſit, ut ferat, quidquid alii imponunt. Amethyſtus tandem geſtatus ebrietatem prohibere putatur, idque tùm lumine ſuo, tum vini colore, quô præditus eſt, ſignificare, quaſi illa pro facultatis Characteriſmo habeat. Cauſam Ariſtoteles hanc tradit, quod amethyſtus umbilico admotus vini vaporem primùm ad ſe trahat, deinde diſcutiat, proindeque ebrietatem & crapulam abarceat. Cæterùm hæc omnia non tàm prolixâ diſputatione, quàm certâ Experientiâ innoteſcere queunt, baſi totius Phyſicæ. Quocirca nos quoque, quibus propriæ tenuitatis conſcientia tenebras & metum incutiebat, ex aliis potiùs maluimus opellæ huic qualiqualem lucem ac animum fœnerari, quibus & conſummata eruditio fiduciam, & ætas ipſa judicandi dedit maturitatem. Cumq; non fugeret nos, calidiora fermè & ardentiora judicia juvenum, quàm recta eſſe ac ſana, recenſenda pleraque potiùs, quàm cenſenda nobis duximus.

§. 18. Inter *Vulgares* Lapides MAGNES cumprimis attentione dignus. Huc enim eum referimus cum DN. SPERL. *Instit. p. 1040. & Synopſ. p. 205.* Quin & *Boëtius* ait *l. 2. c. 247. Magnes inter ſaxa potius, quàm inter alicujus precij lapides referri debere videtur.* Aliàs *Magirus* eum reducit ad Gemmas minus nobiles, *Phyſ. peripatet. L. V. c. 2 p. 417.* DN. SENNERTUS autem ad Lapides inter vulgares & nobiles intermedios, *Epit. p. 425.* Ejus Conſenſum ac Diſſenſum naturalem rejicimus in Exercitationem proximam.

DISPUTATIO V.

Reſp. CHRISTOPHORUS FICKEL Winzigâ Sileſius.

ADmiranda MAGNETIS miratoris pariter ac rimatoris in mentem adductum venit Diſcursûs *Scaligeri*, quem de eo ſubtiliter ſcriptum ſub initium Exercitationum ſuarum Exoticarum his verbis: *Propterea quod univerſam motus rationem duc[illegible] tantum ſurſum, deorſum, circum: admirabile [illegible] ferri [illegible] ad Herculeum lapidem viſus eſt. At contra ſubtilius [illegible]*

[illegible]-

templanti admirabilior videri debeat terræ descensio totius ad punctum illud, quod in universi medio sola imaginationis vi comprehendi potest. Et quærimus, quam ob causam res ad rem appellat se, id est ferrum ad magnetem, quare terra ad id quod nihil est moveatur, non quærimus. Ubi & mala mista bonis, & bona mista malis facile subodoramur. Malum est, quod ferrum statuit accedere magnetem, non trahere. *Serius, quam alij, quàm veritas ipsa. Movens principium non denegandum Magneti, à cujus qualitate occultâ oritur*, dicit EXC. SPERLING. *ad h. l.* Malum & istud, quod punctum terræ solâ imaginationis vi à nobis comprehendatur, imo nihil sit. Locus quippe naturalis terræ est spatium illud. Locus autem non planè non Ens est, aut Ens rationis. Bonum tamen est, quod motum simplicem dividit in Rectũ & circularẽ, & Rectũ porro in adscendentẽ & descendentẽ. Bonũ & istud inprimis est, quod acutè submonet, sæpè Homines ea tantùm contemplari ac admirari, quæ ante pedes aut oculos sunt, ad cætera verò, quæ longè sublimiora & mirabiliora, perraro animum advertere. Quibus & nos, ut par est, miniatulam ceram adjicimus, querimurq; haud raro enter cum *Seneca*: *Adeo naturale est, magis nova, quam magna mirari*, ex *L. VII. c. 1. Natt. qq.* Miraculis scilicet multis plurimis refertus est omnis mundi angulus, illustrissimis divinæ Majestatis radiis. Supernaturalia ut tegam silentii sipparo, quippe aliena ab nostrâ Andromache; quis naturalia omnia cogitabit condignè aut memorabit? Ubi ea frequentissimè plus admirationis habent, quæ minus ostentationis. *Dicat mihi aliquis*, (dicit *Basilius Epistolâ ad Eunomium 168.*) *quæ sit formicæ natura? an spiritu & anhelitu vita ipsius contineatur? an ossibus corpus distinctum sit? an membris & ligamentis ejus compositio firmata? an musculorum & glandularum munimento nervorum natura contineatur? an medulla à sincipite usq; ad caudam una cum spinæ verticulis extendatur? an nervosæ membranæ ambitu, quæ moveatur, concitatoriam vim immittant? an sit in ipsâ jecur, & vas fellis susceptorium in jecore, renesq; & cor & arteriæ & venæ pulmonculiq; ac intersepta? an nudum sit animal, an pelosum? &c.* Et *Plinius* eleganter *L. XI. H. N. c. 2.* *Ubi tot sensus collocavit in culice? Et sunt alia dictu minora. Sed ubi visum in ea prætendit? ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inseruit? ubi vero truculentam illam & portione*

 maxi-

maximam vocem ingeneravit? quâ subtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura? disposuit jejunam caveam uti alvum? avidam sanguinis & potissimum humani sitim accendit? telum vero præfodiendo tergori quo spiculavit ingenio? atq; ut in capacissimum cerni non possit exilitas, ita reciprocâ generavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoq; fistulosum esset? quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit? potissimumq; è ligno cibatum fecit? Sed turrigeros Elefantorum miramur humeros, taurorumq; colla & truces in sublime jactûs, tigrium rapinas, boum jubas, cùm rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota sit. Considerabimus nos quidem in præsenti non formicam, non culicem, non teredinem, sed magnum Magnetē,& in cujus Theoriâ se semper exercuerunt exercitatissimi quiq;. Non tamen ideò, quod parvorū incuriosi ea despiciamus, & excellentiora tantùm suspiciamus. Hæc sunt facienda, & illa non omittenda. Sed quod nec uno loco, nec uno tempore pertractari possunt omnia, at certa certis & singula singulis conveniunt. Prosperet institutum nostrum ac profliget feliciter Mirabilis in altis DOMINUS!

§. 1. Magnes etiam Siderites aliis â ferro, item ἡράκλειος i. e. Herculeus lapis nominatur. Sive quod ejus inventio circa Urbem Heracleam fuerit, sive quod ut Hercules feras omnes hominesque vicit domuitq;, ita hic ferrum, quod omnia vincit & domat. Rationem nominis *Lucretius* derivat â Magnesiâ Regione Macedoniæ Magnetum feraci, aut Urbe Asiæ Minoris in Joniâ juxta Mæandrum fluvium, cùm sic canit *Lib VI. de rer. nat. v. 911.*

> *Quod superest, agere incipiam, quo fœdere fiat*
> *Natura, Lapis hic ut ferrum ducere possit,*
> *Quem Magneta vocant patrio de nomine Graji,*
> *Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.*

Plinius autem eam arcessit ab inventore Magnete, Pastore armentario in Idâ, qui clavos crepidarum & cuspides ferreorum baculorum lapidi fixius adhærere observârit, *Lib. XXXVI. cap. 16.* Quantumvis alii hoc casu repertum ferant. Fossores quidam metallici consuetis suis laboribus defuncti domum redierunt, & cuneos malleosq; suos in fodinis reliquerunt. Postero die ad operas revenientes, instru-

instrumenta sua non in solo jacentia, uti locaverant, sed in sublimi viderunt pendula. Confusi novitate rei Dominis indicârunt, qui post diligentem circumspectionem venam Magnetis ibi invenerunt, & identidem negocium procedere animadverterunt. Nascitur plerumq; in ferrifodinis aut locis vicinis, qui & cæteris multo vegetior, & interdum plus ferri quàm lapidis adnatum habet, quin & in Germaniâ ex Magnete optimum ferrum elicitur, teste *Anshelmo Boetio de Boodt Historiâ Lapidum & Gemmarum L. 2. c. 248.* Ut haut abs re *Baptista Porta Lib. VII. Magiæ c. 2.* videatur mistura quædam lapidis & ferri, quasi terreus lapis, aut ferrum lapideum. Quin & *Gulielmo Gilberto L. 3. De magnete cap. 12.* meminit frusti ferri omninò in magnetem conversi, quod æquè ac magnes alterum ferrum attraxerit. Quæ procul dubio causa est, quod etiam unus Magnes ab alio trahi potest, quemadmodum de Æthiopicis Plinius tradit l. c. Ubi tamen adhuc majorem esse ferri & magnetis amorem, quàm magnetis cum magnete, experimento docet Porta l. c. c. 21. Memorabilia hic *Fracastorius* narrat in *De Symp. & Antip. c. VII. Nos præsentibus multis è nostris medicis experientiam multorum fecimus, perpendiculo benè & concinne aptato, quale est in navigatoria pyxide, ac manifestè vidimus, magnetem trahere magnetem, ferrum ferrum, tum magnetem trahere ferrum, ferrum magnetem, porro electrum parva electri frustula rapere, argentum attrahere argentum, & quod valdè mirati fuimus, magnetem vidimus argentum trahere, item Electrum non tantùm surculos & paleas movere ad se, sed & argentum. Vidimus quoq; idem frustum Magnetis per unam faciem magnetem trahere, non ferrum, per aliam ferrum, non Magnetem, per aliam utrumq;: quod indicium est in una parte plus esse magnetis, in aliâ plus ferri, in aliâ utrumq; æqualiter, unde fiat diversitas illa tractionis.* Quæ omnia non tàm ad identitatem substantiarum, quam ad similitudinem Qualitatum reducenda veniunt.

§. 2. Duo sunt in hoc arcana, quæ negocium universis non leve facessunt, & excedere fermè videntur omnem ingenii captum: tractio ferri & conversio ad polos. Quamvis Boërius l. c. insinuet, hanc etiam absq; illâ esse posse, cum ait: *Quicunq; ferrum trahunt, illi omnes plagas mundi monstrant. Id enim proprium omni & soli Ma-*

 gneti

gneti videtur. Qui verò plagas tantùm mundi ostendunt, vi trahendi carere possunt. Tales habui ex monte S. Georgii, qui tribus Pragâ distat milliaribus, in planitie agri Leutmericensis solitariè constitutus. Ferri tractionem tractat & aggerat more suo *Plinius* exquisitissimis verbis, cùm laudatum antè caput orditur: *A majoribus digredienti ad reliquorum Lapidum insignes naturas, quis dubitet inprimis Magnetem occurrere? quid enim mirabilius? aut quâ in parte Natura major improbitas? Dederat vocem saxis, ut diximus, respondentem homini, imò verò & alloquentem. Quid lapidis rigore pigrius? Ecce sensûs manûsq; tribuit illi. Quid ferri duritiâ pugnacius? sed cedit, & patitur mores, trahitur namq; à magnete lapide; domitrixq; illa rerum omnium materia ad inane nescit quid currit, atq; ut propius venit assistit, tenetq; & complexu hæret.* Hinc *Famianus Strada* Jesuita Romanus memorat *l. 2. Dec. 2. de Bello Belgico*, J. Baptistam Platum, in subterraneâ Trajecti suffossione, non operâ tantummodo magnetis, quippe lapides, qui intra terram per ea loca sæpiùs offenduntur, ferri aliquid admistum habent, atq; adeò magnetem alio quàm quò versus erat, avertunt, sed usum fuisse regula ad libellam ac perpendiculum extra foveam contra destinatum locum directa, eâdemq; directione in scrobis fundo pariter adnotatâ. Præcipuus quidam Comes, cum Bellis Gallicis inter Carolum V. & Regem Galliarum gestis, Ducem ageret, atq; Argentorati tabernæ cujusdam Zonarii incumbens, orichalci ferriq; scobem permistam videret, ad artificis ministrum conversus per jocū dixit: *ecqua mercede scobem hanc confusam separaturus esset?* cui ille: *minimâ, vini vel unicâ amphorâ.* Pignore in medium posito, minister Magnetem lapidem è scrinio proferens, nullo artificio, sed solius naturæ & gemmæ trahentis vi Sympatheticâ, ferri limaturam â scobe orichalci segregat, obstupescente Comite & magicam quandam vim lapidi inesse prædicante: non sine stomacho tamen, quod â plebejo se victum tacitè fateri cogeretur, *Georg. Agr. Fabricius Theatridio Physico Dedicat.* Et eam rem totâ die tam conspicuam experiri licet, ut qui quidquam sentiat, nihil sentiat. Trahit ferrum admodum Magnes tenaciter, & quidquid ex ferro aut chalybe constat, cultros, novaculas, clavos, claves, aciculas, & quod non absq; jucunditate spectatur, etiam vicino ferro Magneticam

suam

suam vim tàm fortiter imprimit, ut & hoc aliud post se trahat, & istud vicissim aliud. *Lucretius* canit *L. VI. de rer. nat. v. 915. seqq.*

Hunc homines lapidem mirantur, quippe catenam
Sæpè ex anellis reddit pendentibus ex se.
Quinq; etenim licet interdum pluresq; videre
Ordine demisso levibus jactarier auris,
Unus ubi ex uno dependet subter adhærens,
Ex alioq; alius lapidis vim vinclaq; noscit:
Usq; adeo permananter vis pervalet ejus.

Porta scribit *Lib. VII. Magiæ Naturalis*, quem condum & promum mirabilium Magnetis ipse vocat, *c. 11. Cum Magnes alium lapidem apprehenderit, nondum eum pertinaciter amplectitur, sed in ejus corpus suarum virium effluvium eructat exfluitq;, sed is ubi uberiores vires sibi vendicavit, alium perinde manibus comprehendens facultatem eandem exhaurit & diffundit, hic tertius eâdem vi illâ affectus, undecunq; ex proximo vel longinquo alios rapit, eandemq; virtutem jaculatur & vibrat, & hi alios, ut reciproco jaculatu eâdem quâ tenetur alios teneat, & ex uno quodam quasi jacula virtutis dilibata in alterum prorumpant, & in altum elevati quasi concatenati pendere videntur, ut nec facile abstrahi sinant, ut quod maximè demirari contingat, quomodo intestina ea invisibilis vis per omnes mutuo transmittatur & profluat.* Augustini quoq; verba memoratu digna sunt *Lib. XXI. De Civ. Dei cap. 4. Magnetem lapidem novimus mirabilem ferri raptorem, quod cùm primum vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam a lapide ferreum annulum raptum atq; suspensum, tum demum vim suam communemq; fecisse, idem annulus admotus alteri est, eumq; suspendit, atq; ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat. Accessit eôdem modo tertius, accessit & quartus. Jamq; sibi mutuò connexis circulis non implicatorũ intrinsecus, sed extrinsecus adhærentiũ, quasi catena pependerat annulorũ.* Quod & *Plinius* jam tum suo tempore observavit, qui propterea hæc tradit *L. XXXIV. c. 14. Sola hæc materia vires ab eo lapide accipit retinetq; longo tempore. Aliud apprehendens ferrũ, ut annulorum catena spectetur interdum. Quod imperitum vulgus appellat ferrum vivum, vulneraq; ex tali asperrima fiunt.*

§. 3. Ac quod mirabilius adhuc, etiam per tabulam ligneam, metallicam, lapideam, per pelvem æneam, per vitrum ac speculum, imo

imò per medias carnes vis illa attractrix diffunditur. DN. SENNERTUS ait *De Conf. & Diff. cap. XVIII. p. 344. Magnetis vires trahendi ferrum nullo obice aut obstaculo impediri posse ac per tabulam interpositam ferrum à magnete trahi, docet Joh. Baptista Porta Magiæ nat. l. 7. c. 16. & 17. & quod Erastus negat, ferrū à magnete per medias carnes & cutem trahi, id affirmat Ambrosius Paræus l 7. Chirurgiæ cap. 15. ubi refert Chirurgum quendam hernias puerorum cur... e Magnete in tenuissimum pulverem redacto & cum polentâ exhibito, inguine verò, qua præcipitabatur intestinum, melle inuncto & subtili ferri limaturâ asperso.* Et *Gilbertus Lib. 2. c. 16. Non obstant crassa tabulata, non figulina, non marmorea vasa, nec metalla ipsa: nihil tam solidum, quod vires tollat aut impediat, præter laminam ferream:* (eandem eti m Porta excipit cap. 16. & 30.) *sed neq; à laminâ ferreâ omnis opprimitur virtus, sed quadam ex parte divertitur. Cum enim in ferreæ laminæ medium, intra orbem virtutis magneticæ, sicq; juxta polum lapidis dir. cte positum, v gor immittitur, funditur maxima ex parte illa virtus versus extremitates, ita ut extrema lamellæ rotundæ, convenientis magnitudinis, alliciant utrinq; ferrea fila.* Et idem Gilbertus cap. 4. tradit, etiam per medias flammas ferrum ad magneticum corpus transcurrere ac lapidi adhærere. Periculum feci ipse cum pyxide nauticâ, detentoq; ad eximiam distantiam sub mensâ Magnete, vidi per mensam, per quadram stanneam ac ligneam, ac per ipsum ebur gnomonis magneticam virtutem adeò penittrare, ut Lilium pyxidis continuò moveri inciperet; & prout subtùs Magnes hinc & inde ducebatur, sive ad dextram, sive ad sinistram, sive in orbem, ita illud quoq; concitatissimo cursu ac recursu rapiebatur.

§. 4. Ubi tamen notandū hoc probè (monente Dn. *Sennerto Epit. Lib. 5. cap. 4.*) non totum id, quod vulgò Magnetis nomine ostenditur, Magnetem esse, neq; enim totus lapis trahit ferrum: sed magnetis substantiam in lapide suo quasi per venas dispersam esse, sicut & alia metalla rarò sola & pura, sed in suis matricibus generantur: ideoq; lapis magneticus eâ saltem ex parte trahit, in quâ est vena magneti.... Quod & *Porta* adstruit *cap. 22.* inquiens: *At non certè opinandum est, omni suâ parte magnetem ferrum attrahere, sed è stato constitutoq; puncto, quod maximo labore & rationis ind...ne perquirendum erit.* Id quod vel maximè notabile in *Magnetibus armatis*,

quos

quos appellant: de quibus pluribus agit Gilbertus L. 2. c. 17. usque ad 23. Ii enim non quâcunq; sui parte ferrum trahunt, sed eâ tantùm, quâ poli Magnetis exactè investigati habentur, commonstrante artificium hoc ad unguem celeberrimo D SENNERTO Epit. Phys. l. 5. c. 4. p. 436. Qui & ipse duos eorum habuit, applicatâ utrique laminâ ferreâ non temnendi ponderis: quos nunc tenet hæreditatis ac virtutis paternæ successor Filius EXC. Vir DN. M. ANDREAS SENNERTUS, Lingvar. Oriental. hujus loci P. P. Præceptor & Fautor meus Magnus. Qui & pro eâ, quâ pollet facilitate, eorum videndorum ac utendorum copiam nobis fecit liberalem.

§. 5. *Scaliger* tamen hîc singularis est, & in ferro potiùs principium motûs quærit, quàm in Magnete. Ita argumentatur *Exerc. CII. 6. Omne appetens appetit propter suam perfectionem. Propterea membra ipsa trahunt, ut nutriantur. Sic petunt Elementa sibi convenientes locos ad quietem. Quapropter cùm ferri pabulo non indigeat Magnes, non illud attrahet. Sed movebitur ferrum potiùs ad Magnetem, tanquam ad Matricem suam, cujus abditis principiis perficiatur, quemadmodum ad centrum terra.* Verùm præsupponit Scaliger, ferrum perfici à Magnete, cùm rectiùs longè Magnes perfici dicatur à ferro. Hinc si diu magnes ferro aut venâ ferri destituatur, quandam virium facit jacturam. Quod ne fiat, squamâ ferri obruendus est, docente *SPERL. Inst. Lib. VI. cap. V. Q. 5.* Hoc primum est. Deinde sive Magnes trahat ferrum, sive ferrum accedat Magnetem, una tamen causa ubique subest, & proinde nobis quidem in præsenti materiâ perinde est. Magnes ferrum aut ejus meliorem partem chalybem appetit, illique uniri cupit, & ferrum vicissim ipsius complexum exoptat, ob similitudinem qualitatum, quam habent invicem. Hinc utrumque conjungi ferè video à probatissimis autorum. *Plinius* primò dicit: *trahitur a Magnete ferrum.* Mox de ferro ipso: *domitrix illa rerum omnium materia ad inane nescio quid currit.* *Scaliger* ipse *Ex.* CCC. 4. *Magnes ferro, vel magneti ferrum sese appetit appellere.* *Boetius de Boods* habet *L. 2. c. 249. Si quis dixerit & magnetem ad ferrum, & ferrum ad magnetis amplexum properare, fortassis non aberrabit.* Et *Bodinus Theatro Nat. L. 2. p. 244. Uter ab utro trahatur, non facile judicari potest: nam si ferrum Magnete multis partibus gravius fuerit, magnes rapitur a ferro: sin massa ferri multis partibus levior fit, rapitur*

pitur à Magnete: in quo fallitur Alexander Aphrodisiensis, qui negat, magnetem à ferro trahi. Ac omnino si ferrum grave sit, & magnes exiguus, magnes ad ferrum se movet, si autem magnes ponderosior sit, ferrum ad magnetem properat. Ubi tamen non tàm ad majus quantum, quàm ad majus quale, sive ad majorem virtutem in utroque respiciendum. Hinc & parvus magnes multum ferri trahit, & magnus, at effœtus, parum aut nihil. *Audivi ab amico meo*, scribit *Boetius ibid. se vidisse exiguum magnetem tres libras traxisse ac ita firmiter retinuisse, ut non nisi vi avelli à magnete potuerit, vix ille pendebat duas uncias.* Et *Bodinus l. c. Vis illa tandem senio ac vetustate contabescit: nam qui magnes dupondius clavum uncialem ferri movebat anno superiore, eundem clavum eâdem vi non movebit decimo post anno.* Et *Porta l. 7. c. 10. Magnetem Romæ uncialis ponderis vidimus, qui binas ferri uncias trahebat, & tractum adeo tenaciter amplexabatur, ut vix abstrahi posset. Vidimus & alios quadraginta librarum adeò effœta virtutis, ut vix uncialem moverent.* Et hoc est alterum. Tandem tamen cum Celeberrimo SPERLINGIO Nostro asseveramus, movens principium non denegandum Magneti, à cujus qualitate occultâ tractio illa oriatur. Quod haut obscurè inde constat, quod Magnes sine ferro aut venâ ferri difficulter integer & illæsus persistere potest, facilè tamen ferrum absque magnete. Quin & magnes in scrobe ferri sepultus vires suas magis magisq; auget & retinet, cum ferrum contrà paulatim rubiginem contrahat & pereat, puriori scilicet ipsius & subtiliori substantiâ ad magnetem tractâ. Deinde si magnes allii succo perungatur, neutiquam ferrum allicit, quod argumento est hebescere in magnete vim aliquam, effectricem hujus actionis. Nec temnenda *Bodini* ratio: *Ex eo judicatur ferrum à magnete trahi, quod magnes contusus vehementer aut senecta tabescens vim amittit, nec tamen ferrum Magnetis senio confecti particulam ullam ad sese trahit.* *Boetius* etiam hanc addit, quod actionem ac vim trahendi communicet ferro, quam si non haberet, alteri dare non posset. Quid quod Scaliger ipse sui oblitus Exerc. anteced. §. 14. conceptis verbis asseruerat, *ferrum trahi à Magnete.* Constantiam ergo petimus & dictorum consonantiam.

§. 6. Atq; ex hoc ipso Magnetis ac ferri Consensu rationes Physicæ depromuntur omnium eorum quæ cæteroquin non possunt non miracula ac prodigia videri causarum ignaris. Et citra dubium hujus

ope

ope plurima miraculorum apud Paganos patravit Diabolus mille artifex, & experientissimus ac longo rerum usu exercitatissimus Physicus. Feretrum flagitiosi Mahometis ferreum in templo urbis Arabiæ Mechæ in medio aëre pendulum visi, vulgari sermone circumfertur. Quod si verò Magnes demonstretur repositus à parte ædis superiore ac inferiore, ac forsan etiam ab utroq; latere, jam nihil amplius mirum fuerit, ferrum ita undiquâq; teneri in æquilibrio. *Johannes Hugo à Linschotten* Batavus *cap. IV. Itinerarii* sui scribit: *Mecca oppidum quod in Arabiâ situm, notum est ex cadavere Mahometis. Id ibi ferrea cista inclusum subductum à terrâ pendet sub cœlo ex Magnete fabrefacto, magnâq; visitantium Turcarum & Maurorum religione celebratur.*

Et sic sublimi gravis hæret in aëre massa,
Quam nullum vinclum, fulcraq; nulla tenent.

Quanquam & hic nobis in mentem veniat verborum *Portæ L. VII. c. 27. Quod Mahometis arca in templi fornicibus pendeat, falsum est.* Et *Guil. Gilberti L. 1. c. 1. Matthiolus Mahometis sacellum magnetibus cameratum refert, quo ostento (ferreâ arcâ in aëre pendente) tanquam divino quodam miraculo vulgo imponi scribit: sed à peregrinantibus falsum id esse cognoscitur.* Huc faciunt *Ludovici Vartomanni* verba, quæ ex *Lib. 1. cap. XI. Itiner.* allegat Clarissimus Vir M. Joh. Andreas Quenstedt Disp. VI. extr. De Sepulturâ Veterum: *Sed tempus jam appetit, ut eorum refellam opinionem, qui autumant Mahometis viri impurissimi arcam apud Mecham in aere absq; adminiculo pensilem consistere. Ego longe aliter sentio, affirmoq; ea nec vera neq; verisimilia esse, utpote qui coram hæc perpendi, vidiq; locum, ubi humatus est Mahumetes in memorata urbe Medinatalnabi: moram enim inibi tridui fecimus, ut in horum omnium certissimam deveniremus notitiam.* *Plinius* hæc ponit *L. XXXIV. c. 14. De magnete Lapide Chirocrates architectus Alexandriæ Arsinoes templum concamerare incohoaverat, ut in eo simulacrum ejus e ferro pendere in aere videretur. Intercessit mors & ipsius & Ptolemæi, qui id sorori suæ jusserat fieri.* Et Eusebius in Historiâ Ecclesiasticâ memorat, in Alexandriâ Ægypti laquearibus templi Serapis magnetem infixum, statuam mediam, in cujus capite ferrum erat inclusum, sic tenuisse, ut media nec solum, nec culmen attingeret, adducente *Jonstono Admir. Fossil. c. 15. Nic. Nancelius Analogiâ Microcosmi ad Macrocosmum L. VIII. c. 6.*

L 2 p. 1300.

p. 1300. hoc ita effert: *In Serapidis templo apud Alexandriam Magnes desuper in laquearibus fixus cum signum Solis ex ferro subtilissimè fabricatum, vi suâ naturali ad se raperet, assurrexisse populo simulacrum & in aëre pendere videbatur: Et ne hoc lapsu propero proderetur, ministri fallaciæ, surrexit Sol, ajebant, ut valedicens Serapidi discedat ad propria.* *Fracastorius* etiam scribit *De Symp. cap. 8. Fieri posset, ut ferri frustum in aëre pendere quidem, se nec sursum, nec deorsum moveri posset, quod quidem contingeret, si desuper magnes poneretur, qui tantum trahere sursum ferrum, quantum ipsum deorsum inclinat, æquali potentiâ posset.*

§. 7. *Joh. Baptista Porta* (quem *Philosophum non vulgarem* vocat *Gilbertus c. l.* & ita de eo: *Multis illum dignum laudibus judico, quod rem tantam (uti alias res plurimas feliciter satis non mediocri cum fructu) aggressus fuerit, & quod ulterius perscrutandi occasionem dederit*) ingeniosissima hinc artificia architectari meditatur *Lib. VII. Magiæ Naturalis.* Cap. 29. Papyrum per murum adscendere & descendere demonstrat eo pacto, si ferrum ex adverso papyri conglutinetur, muroq; applicetur, & retrò puer Magnetem moveat sive sursum, sive deorsum, ad eandem enim rationem etiam papyrum moveri. Additq; ibidem: *Sed quod omninò admiratione plenum est, dum Magnetem per cubiculi fornicem ligneam supra caput moveret puer, rapiebat secum papyrum, unde videbamus pendulam papyrum supra caput moveri, quod non erat qui videret, quin Dæmonum arte factum crederet.* Cap. 24. docet, Quomodo ferrum supra Tabulam saltet, nullo visibili lapide admoto? Cap. 27. Quomodo Magnes ferrum in aëre suspendat? Cap. 17. Quomodo arenarum exercitus planâ in tabulâ in sua cornua divisus prælietur invicem, & nunc pedites hastatos, nunc equitum turmas repræsentare videatur: imò quomodo idipsum in aëre pendulum fieri posit, ut præliantes antipodes appareant. Quæ omnia ex qualitatibus ejusmodi naturalibus altius perspectis oriri posse quis ambigeret? Magnetis illud arcanum, quo secreta sua amici in maximâ distantiâ secum communicare possunt, stilo & venâ Lucretii descripsit Jesuita *Famianus Strada Lib. 2. Prolus. VI.* Carmen exstat apud *Jonstonum De Constantia Naturæ Prop. V. art. III. membr. VI.* Judicium autem super eâ re apud *Boetium Lib. 2. cap. 254.*

§. 8. Ut adeò τὸ ὅτι tàm admirandi Effectûs, sive Quod sit, satis superq; pateat. Saltem τὸ διότι sive Propter quod sit, mirum quantum

tum

rum eruditorum ingenia lacesſit, & negotii plurimum facesſit. Orpheus in ſuis Carminibus narrat, ita ferrum à Magnete trahi, ut ſponſam ad amplexûs ſui Sponſi, memorante *Portâ c. 20. & Gilberto l. 2. c. 3* Martinus Corteſius cùm ei nulla placuiſſet in universâ rerum naturâ cauſa, ultra Cœlos punctum attractivum magneticum ferrum ducens ſomniavit, citante *Gilberto l. 3. c. 1.* Regerimus nunc nihil niſi Plinianum iſtud *l. 2. c. 1. Furor eſt, profectò furor egredi ex mundo & tanquam interna ejus cuncta planè jam ſint nota, ita ſcrutari extera.* Et hoc *Eraſmi Colloq. Amicitia: Nobis, amice, ſatis eſt ad cœlum usq; perveniſſe, etiam ſi non hoc quoq; ſeptum tranſiliamus.* Anaxagoras Magnetem animatum, & potentia animali attractionem fieri ſtatuebat, docente *Sennerto Epit. p. 433.* Thales Mileſius, ex Plejade Sapientum Græciæ unus, itidem animam Magneti tribuebat. Ita enim *Ariſtoteles* de eo *l. 1. de Animâ c. 2. t. 32. Thales videtur ex hisce quæ tradita memoriæ ſunt, motivum quoddam animam ipſam eſſe putâſſe. Siquidem dixit Magnetem habere animam, quia movet trahitq; ferrum.* A quibus Cardanus haut multum abit, cùm Magnetem vivere ac ſeneſcere adſtruit. Gilbertus quoq; Thaleti admodum premit pollicem *l. 2. c. 4. p. 70.* At verò Corpus homogeneum Magnes, non organicum eſt, actiones etiam vitæ veras nullas edit. Et optime *Scaliger Ex. CII. 5. Ais: Magnetem trahere per animam. Hoc delirio præluxit tibi Thales, ut in primo de anima ſcriptum eſt. At anima trahere nequit, quod non tangit. Sic enim Magnetis anima eſſet quàm Hominis anima nobilior. Hominis enim anima extra hominis corpus actionem habet nullam. Eſt tamen Hominis anima omnium pene regula viventium.* Alexander vetus Philoſophus ad variam Elementorum & Qualitatum primarum temperiem confugiebat. Unde *Scaliger Ex. CI. 14. Quis te malus genius Alexandrée adegit eò, ut miſerè crederes, ſola Elementorum miſtione fieri poſſe, ut ferrum trahatur à Magnete.* Hunc ſeqvuntur illi Peripateticorum, qui docent *occultas Qualitates omnes ex variè miſtorum ſingulari temperie nobis planè incognita, DEO & naturæ ſoli nota oriri, neq; aliud eſſe quam latentem variè miſtorum ἰδιοσυγκρασίαν:* quæ ſunt verba *Freitagii in Differt. de Sanit. & Morbo th. 96.* Sed bellè ipſos excipit DN. SPERLINGIUS *Inſtit. L. II. cap. III. Q. 4. Provocant, ait, ad indicibilem miſtionem, è quâ tales emergant qualitates. Verùm indicibilis eſt iſtorum pertinacia, qui veritatem vident, ſed ne quid neſciviſſe putentur, videre nolunt.*

sunt. Assumant ignem, aërem, aquam & terram, misceant modo dicibili & indicibili. Nunquam habebunt inde vim Magnetis ferrum trahentis & ad polos se convertentis. Et DN. D. SENNERTUS *Hypomn. 2. cap. 1. Liberè & audacter pronuncio &c.* Andreas Libavius parte 3. Singul. l. 1. c. 12. bituminosam in magnete naturam statuit, quæ ad singularitatem cum ferro redacta sit similitudine conspirationis misturæq; , quâ eadem principia in ferro caluerint, & esse ferreum ac bituminosum spiritum utriq; communem, sed non effluere continenter eamq; validè è ferro, sicut è magnete, propter diversam coagulationem seu commissionem. De quâ sententiâ hanc Sennertus fert *Epit. p. 435. Libenter quidem concedimus, sulfur quoddam aut sulfureum Spiritum Magneti & ferro communem esse, quem si Libavio bitumen appellare libet, de nomine cum eo non litigabo: quod autem bituminosa seu sulfurea tantùm sese mutuò appetant, non video quomodo probet. Nec illud etiam monstrat, an ob sulfur saltem, an verò ob totam essentiam sese mutuo appetant.* Marsilius Ficinus apud eund. Sennert. Epit. p. 433. ab ursæ sidere causam petit, cui & Magnes & ferrum subjecta sint, & ambo ordine ursam sequente claudantur, sed superiorem in ipsâ ursæ proprietate gradum teneat magnes, inferiorem ferrum, atq; ita magnetem ut in superiore gradu constitutum trahere ferrum, quod in inferiore gradu sit, existimat. Cui opinioni etiam *Franc. Rueus* assurgit *l. 2. De Gemmis c. 24.* sic discurrens: *Si quis eorum quæ de lapilli hujus potestate diximus, rationem expetat, non insciè responderi posset, virtutis ejus causam esse cum lapilli specificam formam, tùm ejus germanitatem cum ferri naturâ, & eorum quidem utriusq; consensum cum Ursâ illâ cœlesti, cui & obnoxior sit lapillus ipso ferro.* Quæ quidem acutè excogitata fateor, at fundamentum tamen assertionis suæ certum quod afferant, nondum liquet.

§. 9. Inter tot igitur ancipitia Sententiarum divortia, & tàm arduæ controversiæ tot naufragos scopulos quid faciendum nobis reputabimus? Forsan tutissimum ac optimum factu fuerit, vela retrorsum dare & tranquillum silentii portum quantocyùs legere. Præstat in quibusdam eruditionis, quàm ingenuæ modestiæ jacturam facere. Verumenimverò dedit nobis Sensum, dedit Intellectum Creator Maximus haut frustrà, & ut turpi torpescerent ocio, sed ut excolerentur ac exercerentur perenni opere. Et ut magnæ alicujus

artis

artis opifex attentos ac peritos spectatores desiderat, à segnioribus autem & imperitioribus offuscari potiùs scientiæ gloriam & commaculari queritur: ita divinus Thaumaturgus penitiùs gaudet opera sua inspici, & se in ipsis, quantum nostra fert mortalitas. Rectè *Seneca Lib. De Beata vitâ c. 32. Curiosum natura nobis ingenium dedit: & artis ac pulcritudinis suæ conscia, spectatores nos tantos rerum spectaculis genuit, perditura fructum si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formosa solitudini ostenderet, ut scias illam spectari voluisse, non adspici.* Erit aliquid prodire tenus, si non datur ultrà. Dicimusq; adeò *Specificam* Magnetis *Formam* à DEO Conditore primitus creatam, & post vi divinæ benedictionis per traducem sive generationem propagatam, esse causam primam ac principem omnium actionum ab ipso profectarum. Quæ quidem Anima propriè vocanda non est, interim tamen neq; Elementaris cujusdam conditionis habenda, sed alterius prorsus & toto genere distinctæ Essentiæ. Eruditè *Scaliger Ex. CCCVIII. 20. Quin istis edico simul, omnem Formam cujuscunq; perfectè misti, etiamsi non est anima, ut in Adamante, naturam esse quintam, longè aliam à quatuor Elementis.*

§. 10. Ea autem immediatè non agit, sed intervenientibus certis accidentibus ac *qualitatibus.* Qualitas hæc *ratione nostri* non Manifesta sed Occulta est. Non caliditas hoc facit, non frigiditas, non humiditas, non siccitas, neq; quidquam horum. Calidus est ignis, frigida glacies, humida aqua, sicca arena, ferrum tamen non trahunt. Et ut id seorsim præstare nequeunt, ita nec temperatæ aut quocunq; modo mistæ remistævè. Nihil enim agit ultra vires suæ speciei: & sive tres sive decem diversi colores misceantur, nihil tamen aliud quàm color oritur, non autem v. g. vires narcotica opii, aut evacuatoria rhabarbari. Et sive plures sive pauciores asymboli ad cœnam accedant, omnes tamen esurire necesse est, quo simili delectatur Dn. Sennertus Hypom. 2. cap. 1. p. 45. & cap. 5. p. 58. Qui p. 59. hanc in rem eleganter: *Sit ut multæ mistiones fiant, & simul cum his semper novæ qualitates emergant, tamen quia prima mistio non nisi Elementorum est, & temperies inde non alia quam primarum qualitatum emergit, etsi centies, imo millies quæ primo mista sunt, porrò misceantur & remisceantur, inde nihil nisi elementare, & nulla alia qualitates nisi elementares*

mentares emergunt, & propterea nobiliores quàm qualitatum primarum actiones ab iis provenire non possunt. Invictum ergò manet Scaligeri argumentum, quo probat animam non oriri ex Elementis, ratione generali & pro omnibus Formis militante, *Ex. CCCVII 20. In anima potestate est, quod nunquam fuit in potestate elementi cujusquam? At nihil est in quàpiam re, quod non fuit ante in suis principiis. Principia namq; sunt actûs eorum quorum sunt principia.* Cui quidem solvendo Freitagius omnes nervos intendit, ac laterem lavit, demonstrante D. Sennerto Hypomn. 2. cap. 3. *Ratione sui* non Materialis, sed Intentionalis est, quippe quæ per ipsum lignum, per marmor, per metallum agit, adeoq; etiam in distans operátur. Non secus ac lux quoq; & sonus in subjecto, à quo progrediuntur, non hærent, sed transeunt, ac latissimè disperguntur per vitrum, per parietes. Talia namq; accidentia spiritalia benè possunt migrare de subjecto in subjectum, realia verò semper inhærent, & non nisi ad communicationem subjectorum etiam ipsa communicantur. *Non tamen & hi limites* (verba sunt *B. Sennerti De Cons. & Diss. cap. XIIX. p. 345.*) *nimis latè extendendi, ut ii faciunt, qui actiones ad plurima milliaria extendunt, cùm Exemplis è Natura petitis id probare non possint. Trahit Magnes ferrum, sed non longè remotum: habet Pæonia & alia amuleta suas vires, sed in corpore propinquo, non longè remoto.*

§. 11. Qualitas hæc *Similitudinem* habet cum aliquâ ferri qualitate etiam occultâ, proindeq; simile simili gaudet, & uniri invicem desiderant. Ut sic tandem tota nostra dissertatio resolvatur in Consensum Rerum naturalium, quem mutuò habent ob similitudinem. Ita *Boëtius L. 2. c. 249. Omni dubio procul Consensus iste intimus à similitudine Essentiæ, quam habet magnes cum ferro, proficisci debet, quæ ut nobis ignota est, ita & causa à quâ illa dimanat.* Ita *Porta c. 20. Inter ferrum & magnetem adeò naturalis concordia & sympathia est, quasi inito inter eos fœdere, ut cum magnes ferro accedit, nutat illico ferrum, & in ejus occursum abit, amplexandum à magnete, illudq; in suum amplexum recipit ita pertinaciter, ut vix multis distractionibus hinc inde jactando distrahi patiatur: nec minor est magnetis ad ferrum occursus, conciliatio, mutuus amor & conciliabulum: nemo enim eorum tractui renititur, sed lenior semper ad alterius occursum ultro se confert.* Ita *Conimbricenses in L. VII Phys. c. 2. Quæst. 1. art. 3. Vocat Magnes ad se ferrum propter Sympathiam sive occultum*

occultum Naturæ Consensum, sicut succinum, lyconites & Adamas paleam trahunt, sicuti argentum vivum auri particulas, sicuti epithymium atram bilem, agaricum pituitam evocat. Ita *Magirus Comment. Phys. L. V. c. 2. p. 426. Permanendum itaq; in veteri Sententia à Platone aureis planè verbis descripta, & ab Aristotele 7. Phys. nec non ab aliis interpretibus & Galeno comprobatâ, ferrum trahi à Magnete propter similitudinem Substantiæ, quam quoq; prodit ferreus Magnetis color.* Impugnat quidem Sententiam hanc ingeniosissimus *Fracastorius, cap. 1.* ita disserens: *Si per similitudinem fit hæc attractio, cur magnes non potius magnetem trahit, quam ferrum, & ferrum cur non potiùs ad ferrum movetur, quàm ad magnetem? quænam affinitas est pilorum & surculorum cum electro & Adamante? præsertim quod si cum Electro affines sunt, quando & cum Adamante affinitatem habebunt, qui dissimilis Electro est. At vero & illud dubium est, utrum omnia sua similia trahant, ut lapis lapidem & caro carnem, & reliqua de quibus nihil constat.* Facit cum eo *Bodinus L. 2. p. 243.* scribens: *Pleriq; Magnetem & ferrum similitudine quâdam copulari & conjungi putant, sed non satis argutè, cùm metallis metalla sint similiora, quam saxis, nec tamen ullum metallum trahit aut trahitur à ferro. Eandem succini rationem afferunt, quod paleas allicit. Quid enim frumento vel paleis cum succino commune? at æris & ferri tanta similitudo est, ut alterum in alterius naturam facile converti possit, nec tamen alterum elicitur ab alio.* Dicimus nos, aliud esse similitudinem, aliud identitatem. Illam attendi volumus, non istam. Ad qualitates tendendum hic, non ad Substantias. Possunt esse eædem Essentiæ, & tamen dissentire: possunt esse diversæ Essentiæ, & tamen consentire. Homo Homini interdum Deus, interdum Lupus aut etiam Diabolus est. Eadem hic natura, qualitas contraria. Et si in Magnete & Magnete, si in ferro & ferro, etiam habetur similitudo qualitatum, trahit utique unum aliud, quemadmodum Exempla recitant Plinius & Fracastorius ipse ll. cc. & Gilbertus Lib. 1. cap. 9. Si in genere quæratur, quare Magnes trahat ferrum, non plumbum, non lapidem, non lignum, quærimus itidem, quare ignis stipulam, chartam, lignum comburat, non aurum, non vitrum, non terram puram? Scilicet non quodlibet agit in quodlibet, nec quodlibet patitur à quolibet. Receptivum recipit non ad modum imprimentis, sed ad modum receptivitatis suæ. Et ingeminandum hîc quoque *Aristotelis*

M illud

illud *l. 1. Phys. c. 5.* ληπτέον δὲ πρῶτον, ὅτι ἁπάντων τῶν ὄντων οὐδὲν οὔτε ποιεῖν πέφυκεν, οὔτε πάσχειν τὸ τυχὸν ὑπὸ τοῦ τυχόντος, οὐδὲ γίνεται ὁτιοῦν ἐξ ὁτουοῦν.

§. 12. Hic tamen antiquam illam Democriti ac Epicuri de Atomis opinionem absit ut ridiculam prorsus ac rejiculam censeamus, quas ex Magnete statuebant effluere ad ferri corpus: quam & Poëta Lucretius reassumit, Patronus Atomorum dexterrimus. Dicunt quidem *Conimbricenses Patres in L. VII. Phys. Arist. c. 2. Quæst. 1. art. 3. pag. 313. Hæc corpuscula olim ex Democriti & Epicuri Scholâ egressa jamdiu a Philosophis in exilium naturæ compulsa sunt.* At pellant Philosophi, utut velint, Philosophia tamen revocat & retinet. Maneat *Scaligeri* illud altâ mente repostum *Ex. XVI. 4. Quod minima dentur naturalia, nemo sanus dubitabit.* Magnes, utiq; ferri spiritibus imprægnatus est, & vicissim ferrum spiritibus iisdem, quibus Magnes, docēte *SPERL. Inst. p. 1049. & Bassone L. 2. de Cœlo Int. 5. art. 2.* Hos exhalare successu tēporis atq; deficere, docet Magnes, senectā tabescēs, qui propterea naturalē ferri amorē prorsus exsuit, nec id attrahit, uti superiùs ex Portâ & Boëtio Exempla vidimus. Sicut & ex aromatibus ac pomis non tantùm Qualitates intentionales odorum exhalant, sed & ipsa effluvia realia, ipsa corpora, unde sensim ac sine sensu tandem perdunt omnem saporem, omnem odorem, Substantiâ nempè salis ac sulfuris ipsâ evolante. Hinc *Bodinus p. 248. Quæ ratio* (ab atomis) *tametsi est Philosophus penè omnibus invisa, nihilominus tamen magnes vehementi contusione vim amittit, ut si anima exiliret ac mortuum cadaver superesset.* Et *Sennertus Cap. 10. de C. & D. p. 1..: Ut aliquid à Magnete ad ferrum effluat, quo mediante fiat contactus, negandum non est.* Ubi licet loquatur imprimis de speciebus spiritalibus, istæ tamen semper præsupponunt reales, quarum sunt species. Hactenus Ferri tractio.

§. 13. Mirabilior autem multò est altera Magnetis proprietas, quâ Septentrionem versus fertur, & transscendit ferme omnem captum nostrum. Ignota ea vis fuit Aristoteli, Dioscoridi, Theophrasto, Plinio, Solino, Lucretio & veteribus omnibus. Hinc in navigationibus suis serenâ nocte notabatur ipsis inprimis magna minorq; feræ, quas Helicen ac Cynosuram vocabant. Juxta *Virgilii* illud de Palinuro V. Æneid. quasi extremus: *clavumq; affixus & hærens Nusquam amittebat, oculosq; sub astra tenebat.* Ast ubi subitò nubes cœlumq; diemq; eripiebant ex ocu-

lis

lis vagabantur infelices errones, & inter vitam mortemq; medii huc illuc fluctuabant, ignari quò locorum tenderent, aut ubi hærerent. O lumen navigiorum clarissimum! O solamen nauclerorum certissimum! Adscendunt usque ad abyssum, exiguo ligno credunt animas suas, & propè tàm le um quàm prope cernunt aquam. Unde *Juvenalis* illud *Sat. XII.*

> *I nunc, & ventis animam committe, dolato*
> *Confisus ligno, digitis à morte remotis*
> *Quatuor aut septem, si sit latissima tæda.*

Magnes ergo hìc illis subvenit insigniter, quem acui suæ naviculariæ affricant, & sic salutem tot hominum, tàm ingentes pecunias, ipsorum denique vitam Principum credunt parvæ pyxidi, cujus beneficio quotannis orbem terrenum peragrant, & in alium quasi mundum colonias ducunt.

§. 14. Nostri hoc seculi inventum ac ornamentum est, quo jactare se & priscum ævum provocare audet. Nihil priores de usu Directionis magneticæ Astronomico, Mechanico, Geographico, Metallico, bellico, architectonico, quo de apud Nostros exquisita habetur scientia. Rectè *Rudolphus Agricola Lib. 1. De Invent. Dial. Ingratè posset & iniquè de Parente omnium Natura existimans videri, credere ipsam omnia sua in uno partu effundentem munera reliqua posteritati humani generis in omnem ævum sterilem effœtamq; manere voluisse.* Allusit procul dubio *Pliniana* hæc *Ep. 21. l. 6. Sum ex iis, qui miror antiquos, non tamen ut quidam temporum nostrorum ingenia despicio. Neq; enim quasi lassa & effœta natura est, ut nihil jam laudabile pariat.* Non desunt quidem, qui censent Salomonem jamtùm cognovisse & indicâsse usum pyxidis nauticæ naucleris suis in magnis illis ad Insulas Ophir navigationibus I. Reg. IX. 28. Et Lemnius præprimis id exemplum urget l. 3. De occult. Nat. c. 4. ubi probare tentat Magneticæ acûs cognitionem & usum priscis seculis fuisse compertum. Solidi tamen hic nihil & certi subest. Quippe Phœnices quoq; Judææ contermini, ac Tyrii, hujus artis peritissimi magistri, quorum ingeniis & laboribus Salomon ipse feliciter usus est, & ipsi se ad hæc magnetica auxilia contulissent, & ita ex facili Græcis ipsis Barbarisque omnibus res tàm nobilis ac necessaria innotuisset, cujus tamen nullum in Antiquitate vestigium. Ubi tamen aliàs in describendis classium apparatibus, & institutis Carthaginensium, Tyriorum, Atheniensium atq;

Romanorum navigationibus multorum defatigatur calamus. Damus quidem prudentissimum rerum naturalium Salomonem fuisse, juxta I. Reg. IV. 30. seqq. & Sapient. VII. 17. seq. totam tamen earum abyssum non exhausit. Hæc est benignitatis divinæ lex, spargere dona sua in homines & ætates, nec uni tribuere omnia. Benè *Jonstonus De Constant. Nat. Prop. V. art. 3. membro 6. Tempore Salomonis si fuisset, triennium integrum in eundo & redeundo non consumsisset: nec tanta erat ejus Sapientia, ut nihil nesciverit.* Qui & ibidem *Lemnium* inducit *Versoriam Plauti* explicantem per pyxidem nauticam. Locus Comici est *Mercatore V. 2. 34.*

Hic secundus ventus nunc est, cape modò versoriam.
Hic Favonius serenus est, istbic Auster imbricus,
Hic facit tranquillitatem, iste omnes fluctus conciet.

Et *Trinummo IV. 3. 19. Cape versoriam: recipe te ad herum.* At l'tem lite resolvit Lemnius. Magnus *Turnebus* in contrarium ita si per hoc *l. XX. advers. c. 4. Versoria est funis, quo velum vertitur. Nam eos ferre non possum, qui recentem illam pyxidiculam naviculatoriam avorum memoriâ inventam explicant. Meam confirmat Sententiam, quod ab eodem scriptum est Epid. Act. 1. 1. Utcunq; in alto ventus est, exinde velum vortitur.* Ita & Deliciæ seculi nostri *Taubmanus: Alciatus: Versoria est instrumentum nauticum, quo secundum auram navis vertitur. Nonnulli existimant eo cognosci solitum, unde flaret ventus: inde cape versoriam, id est, ut vulgò dicitur, verte manum: sive παλινδρομος, Hans kehr umb / da vela retrorsum.* Nobis ergò propria ac perpetua manet hæc insignis gloria facti. Primus inventor traditur vel Johannes Goja, vel Flavius quidam, Cives Melphitani in Regno Neapolitano, circa A. MCCC. *Gilbertus l. 1. c. 1.* scribit Marcum Paulum Venetum apud Chinas artem pyxidum didicisse, & circa A. MCCLX. in Italiam traduxisse, à Melphitanis autem in mari mediterraneo primò vulgariter fabricatam fuisse. Albertus M. quoq; & Vincentius Belluacensis rem paucis indicâsse traduntur circa A. MCCXLV. Goropius inventionem tribuit Cimbris sive Teutonibus, quia XXXII ventorum nomina pyxidi inscripta ab omnibus naucleris, sive Galli, sive Britanni, sive Hispani sint, Teutonicâ linguâ pronuncientur. At præterquàm quod Itali suâ lingva vernaculâ ea describunt, *Gilberto* teste *l. d.* opponimus Becano Sympatriotam

triotam proprium *J. Lipsium*, qui ita de eo *Cent. III. ad Belgas Epist. 45. Non antiquam & elegantem solùm Linguam nostram, sed primogeniam facit, caeteras ex eâ velut matrice educit. Nostri atq; exteri erecti, stupuêre omnes tentamina ta ta conatûsq; novos, multi & risère. Quid ego? virum amavi, & ingenium acre, facile, felix etiam miratus sum: felix, si in aliam rem & materiem vertisset. Nam ista quem fructum, imò quam fi em habet?*

§. 15. Causam tàm admirandi effectûs ad Consensum mutuum Corporum naturalium, in quo tota nunc nostra versatur opera, reducendam esse, vix est qui ambigat aut abnuat. *Concors enim atq; consentiens Natura sibi rerum omnium tùm superiorum tum nostratium connexionem admirabili serie hâc, quâ totum hoc unum est, perpetuâ necessitudine conjungit*, dicit *Scaliger Ex. CXXXI. 1.* At unde ille arcessendus sit, hoc opus, hic labor est, ut dextrè ac verè enodetur, inter tanta praesertim Sententiarum divortia. *Olaus Magnus* sub Septentrione montes esse ait, ac tantae potestatis attrahendi, ut naves ligneis clavis affixas habeant, ne per magneticos scopulos pertranseuntes è ligno ferrei claves trahantur, *Portâ* adducente *L. VII. c. 1.* Arripit hoc ingeniosus *Fracastorius, Philosophus eximius*, Encomio *Gilberti l. 1. c. 1. in omni Philosophiae Studiorumq; humaniorum judicio seculi sui facilè princeps*, testimonio Civis sui *Scaligeri Ex.* CXXXI. 1. *cujus tanta fuit eruditionis praestantia, ut non tantùm ad Catulli, Plinii & aliorum civium suorum Exemplum marmoreâ statuâ Veronae publicè erectâ cohonestatus, sed & Aris à Josepho Scaligero magni illius Julii Caesaris F. positis immortalitati fuerit consecratus*, dicente *Salmutho ad Pancirolli Nov. Repert. L. 2. tit. 1.* Is enim itidem montes quosdam Magnetis hyperboreos statuit, & rupes ingentes, magnetica ferramenta allicientes, *De Symp. & Ant. cap. VII.* Idem repetit Cap. ult. Verum τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει Summus vir, & dubium probat per aequè dubium. An enim dentur isti montes sub Arctico polo, & quales quantiq; sint, quae Svada nobis persvaserit? Gilbertus l. d. Olai relationem expertè Fabulam vocat. Ad negociatores dum provocat Fracastorius, tralatitium illud ingerimus, quod pace ejus fiat: Qui facilè credit, facilè decipitur. Et quod Hispanorum Sermone teri *Melchior Canus* testatur *Lib. XI. Locor. Theolog. c. 6. De luengas vias, luengas mentiras.* Nemo ferè tantum loquitur, quantum vidit-

vidit aut audiit, sed ut ingeniosa est curiositas, de suo addit aliquid, & ex muscâ Elefantum facit. Hinc ex simplici vero duplex falsum. Eleganter *Plutarchus L. περὶ ἀδολεσχίας: Ut exiguum aliquid inaudiverit, id arreptum garrulitas veluti æstus affluentis maris illicò multiplicatum reddit. Porticum Olympiæ, quæ unam vocem multis reflexionibus resonat, Heptaphonum vocant: at garrulitas vel minimâ voce si tangitur, statim sonitûs reddit varios, proinde in eam venire possis cogitationem, auditûs foramina garrulis non in animum, sed in lingvam desinere, cùm aliis perdurent audita voces, garrulis autem effluant, ac vasa tanquam mente vacua, sono plena obambulent.* Et deinde etiam aliis in locis montes Magnetum feraces reperiuntur, ad quos tamen acus Magnete illita non respicit, puta in Magnesiâ, quæ & ideò Lapidi nomen dedit, item in Iluâ Insulâ inter Corsicam & Italiam, & præcipuè in Ægypto. Hinc *Scaliger l. c. Ad Ilua montes cum applicantur naves, cum in ancoris sunt, cùm discedunt, nullam sentiunt in pyxide mutationem. Ferrum tamen ab illius loci Siderite tactum ad polum vertitur, non ad ipsam Insulam.* Et si excipiatur, quod facit Fracastorius Cap. ult. in suâ fodinâ atq; matrice Iluanum Magnetem non habere vim, exemtum habere, subjicit contrà ibidem subtilis Doctor, nativam cujusq; naturæ sedem cuivis peregrino situi anteferendam, & eandem Objectionem alioquin & Septentrionales illos montes debilitaturam. Quid? quod ab omni vero quàm maximè videatur absimile, per tantam maris terræq; distantiam speciem aliquam, licet vel maximè spiritualem, ut contendit Fracastorius, ad nos usq; diffundi posse. Res quippe creatæ omnes, etiam quando per contactum virtualem agunt, virtutem certis terminis circumscriptam habent, & proinde Sphæram certam activitatis obtinent, uti Philosophi vocant, extra quam non solent protendi. Cœlo quidem ac stellis ob insignem corporum magnitudinem & potentem valdè operationem facilè influxum etiam in remotissimas mundi oras largimur: at aliarum tamen rerum species spiritales suis adhuc gaudent limitibus: De quo videatur accuratus discursus D. SENNERTI cap. 18. De C. & D. p. 345.

§. 16. *Gvilielmus Gilbertus*, Magneticæ Philosophiæ Princeps Origano dictus, Globum terræ dicit totum esse magneticum, *Lib. I. cap. XVII.* cumq; vim suam magneticam ferro communicare, etiam nullo

Magnete

Magnete lapide admoto. Quippe bacilla ferrea, quæ diu per viginti aut amplius annos posita & fixa fuerunt a Meridie in Septentrionem (ut sæpe in ædificiis & vitreis fenestris transversim firmentur) diuturnitate temporis verticitatem acquirere & converti, imò & frustum ferri omnino in magnetem conversum Mantuæ, *Lib. 3. c. 12.* Addunt alii ferrum omne ignis instrumentum, v.g. bidentem, batillum, forcipes, & alia omnia instrumenta, quæ circa familiares ignes adhibere consvevimus, ex eo quod fere semper determinatam sui partem, h.e. cuspidem terram versus habeant, & manubrium sursum erectum, vim pariter Magneticam concipere. Item lateres illos, qui nimiâ ignis vehementiâ in fornacibus sæpenumero ferreum cum duritie induunt colorem, unde & ferrei appellantur, magneticum imbibere ex terra vigorem. Et hinc proinde Gilbertus conficit, Magnetem esse terræ præcipuam Substantiam homogeniam, internæ ejus naturæ & medullis ipsius conjunctissimam simillimamq; quin & Magnetem ob easdem cum Globo terrestri virtutes novo vocabulo *μικρόγην* seu Terrellam vocat, & magnæ Parentis sobolem homogeneam statuit, tribuitq; ei æque naturales terminos, meridianos, polos, axem, Æquatorem & parallelos. Quam deinde Sententiam spargit & urget per totum opus. Verùm nititur hæc tota res Hypothesi Copernicæâ, terram scilicet diurnâ revolutione viginti quatuor horarum spacio totam circumferri, quod adstruit ipse *L. VI. cap. 3.* Unde & *Origanus* hanc ipsam Magneticam rationem à Gilberto mutuatur, & in eâ vel potissimum suum præsidium ponit pro motu terræ circulari comprobando, *Præfat. Partis I. Ephemeridum.* Eam autem Hypothesin existimamus nos & Scripturæ & Naturæ adversari. *V. SPERL. Inst. Lib. IV. cap. IV. Q. 5.*

§. 17. Pluribus opinionibus recensendis supersedemus. Quid prodest discere multa aut scire in spem futuræ oblivionis? quid juvat ea operosiùs convasare, *quæ dediscenda erant, si scires*, ut Seneca loquitur Epist. 88. Nos judicamus, admirabilem hanc Magneticæ acûs ad Septentrionem directionem fieri ob Consensum naturalem Magnetis cum stellis polaribus, quæ circa Borealem cœli partem sunt conspicuæ. Nam qui in polis ipsis præcise sumtis causam quærat, frustrà fuerit. Poli quippe Physico, ut & aliæ Mathematicorum hypotheses, axes, circuliq;, Entia rationis sunt, & rerum non fictarum ingeniosa figmenta. Quæ uti non absq; laude & fruge memorabili domi suæ adhibentur, ita

in aliud

in aliud forum delata transitum pariunt de genere in genus *Stagiritæ* prohibitum *1. Analyt. poster. c. 7. t. 3.* Si ad ipsum cœleste Corpus recurritur, dico, unius & ejusdem Essentiæ unas etiam & easdem esse proprietates. Formam Specificam cœlum unam eandemque ubiquâq; obtinet, ergò & eandem essentiam, ergò & easdem affectiones, ergò & easdem operationes. Nam hæc sunt ista tria momenta naturæ, uti Scholastici vocant. Ac sic non magis ad summum cœli, quàm ad imum, nec magis ad Boreum latus, quàm ad Austrinum Magnes inclinaret, quod contra Experientiam est. Manent ergò Stellæ polares Cynosuræ, quas ob id statuimus Qualitatem quandam intentionalem de se per tantum cœli aërisq; spacium ad terram usq; projicere, & in distans operari, etiam non afficiendo medium. Ut subinde dictum illud *Hermetis* obversetur nobis: *Quod est inferius, est sicut quod est superius, & quod est superius, est sicut quod est inferius.*

§. 18. Haut ignarus equidem eorum sum, quæ in adversam partem de motu Stellarum perpetuo & circumgyratione obverti possunt, cum contrà punctum istud quod Magnes respicit, fixum ac statum semper sit. Quæ tamen vel una ratio movit Summos Viros, Scaligerum Sennertum, Bodinum, ut cœlo dimisso Terram potius aut quidvis aliud admitterent. Ita enim *ille* ad Cardanum *Ex. CXXXI. 1. Tibi ad minoris Ursæ caudam referre hujusmodi vim placuit: nec mihi displicet* (NB.) *convenit enim distantia. Et à cœlo maluerim, quàm à terræ ullâ deducta parte.* (NB.) *cæterum sideris illius perpetua circumactio secum quoq; ferrum converteret, quemadmodum à suo sidere Cometem quoq; arripi atq; avehi dictum est. Quare fixæ effectionis fixam quoq; causam oportet esse.* Ita hic *Epit. p. 43.* *Ac omnino in terrâ potius, quam in cœlo punctum ad quod movetur Magnes, constituendum. Etenim punctum illo fixum est, polus verò Zodiaci aut quæcunq. etiam stella circa illum locum constituatur, ad quem Magnes moveri debeat, movetur, & viginti quatuor horis circulum absolvit, cum interim Magnes perpetuo ad unum punctum tendat.* Ita iste *L. 2 p. 246. Linea meridiana dirotat mirabilem illam declinationem, quam ego Stellæ polari tribuissem* (NB.) *nisi eadem Stella rapido motu circumageretur circa polum mundi, ac præterea motu trepidanti accederet & à polo discederet, cum maxime discedit, tantùm quatuor gradibus distat, at in altera Magnete illius situm nulla immobili perstat.* Verùm opportunè hic recordamur verborum *Aristotelis*, quæ aliquando ex Libello ipsius *De Lineis insecabilibus* didicimus.

didicimus: *Imbecillis & ignavi est, opinionem aliquam, quam evidens ratio persuadeat, propterea deserere, quod alicui argumento non possis planè satisfacere: Sunt enim apud nos tàm falsa permista veris, ut ea sæpe mens nostra ægrè distinguat.* Hoc est, formanda primùm & firmanda constans aliqua sententia nobis est, & tùm tuenda viriliter. Quidquid sit de dubiis quibusdam intercedentibus, quorum totus orbis plenus est. Facilius longè nodos nectere, quàm solvere. Nec tamen objectum nodum tàm Gordium putamus, quem nulla Tenedia securis scindat. Nam præterquam quod punctum illud, cui se Magnes accommodat, tàm fixum, immotumq; non sit, uti mox ex Declinatione ejus constabit; exiguus valde circulus est, quem describunt polares Stellæ, & extima cum primis in caudâ Minoris ursæ nullum sensibilem motum habet, nisi ope Instrumentorum Mathematicorum accuratissima instituatur observatio. Declinatione quippe ejus 8 ° 9′ ½ quam nunc pro datâ assumo ex fortunatissimi Mathematicos Atlantis *Tychonis Brahe Progymnas. Lib. 1. p. 276.* ex Quadrante Circuli subductâ, remanent tantum ° 56′ 30″. Ad tantillum ergo punctum, quod vix ipsum movetur, quî moveatur Lapis, in tantâ præsertim distantiâ, & in tali loco, qui ad cœlum collatus ne Geometricum quidem punctum est, sed plane Mathematicum, terram insinuo.

§. 19. Facit *Basso* nobiscum *L. De Cælo Int. V. art. 1.* scribens: *Quoniam Stellæ polares veluti sunt immobiles, adeo ut in eandem ferè partem agere continuent, magna est eorum spirituum circa terram copia. Cum autem Magnes ex iis magnâ ex parte constet, non mirum est, si similium consortio recreatus in illam partem se convertant, unde fit tantus ejusmodi spirituum confluxus.* Ita *Peucerus De Divin. p. 359. b. Stellæ Poli borealis ad se Magnetem convertunt.* Nec *Conimbricenses* longè abeunt *in L. VII. Phys. c. 2. quæst. 1. art. 3. p. 314.* ita commentantes: *Probabiliter dici potest partes Cæli* (Stellas intelligunt, uti novit, qui Phrasin ipsorum novit) *utriq; polo vicinas ob occultam naturæ consensionem & Sympathiam id per qualitatem aliquam attractoriam præstare ad eum modum, quo Sol herbas quasdam, ut Heliotropium, Tragopogum & Ornithogalum secum vertit.* Nam quod utriusq; poli mentionem faciunt, occasione antecedentium factum est, ubi dicebant: *Unus idemq; Magnes, ut experti ipsi fuimus, unâ ex parte vim habet convertendi mu-*

tronem pensilem acûs versus Septentrionem, ex alterâ eundem versus polum Antarcticum dirigendi. Quod & ipsum apud alios Autores observatum video, & stupeo. Ita Dn. *Sennertus Epit. L. V. cap. 4. p. 4 9. Alii in Magnete duo opposita puncta statuunt, quorum unum ad Boream, alterum ad Austrum dirigatur, &c.* Ita *J. B. Porta c. 3.* Magnetem demonstrat duos habere oppositos polos, borealem & australem, sive Arcticum & Antarcticum (quod & Gilbertus præstat l. 1. c. 3 & 4. *& cap. 4.* ait: *Si quis fracto lapide lineam fregerit, puncta, quæ scissuræ limites erunt, dissidentis illico proprietatis & virtutis erunt, cæcusq; laborabunt discordiis, non sine magno admirantium momento. Nam duo hæc puncta cùm simul unita essent, eandem vim ad polum se dirigendi sortiebantur, nunc divortio separata, alterum ad Boream, alterum ad Austrum vertitur, eundem situm obtinentia, quem in suis natalibus locis vel minerâ obtinuissent, & quod in magno lapide magnetico, idem & in minimis frustulis evenit.* Ita *Boëtius l. 2. c. 251. Sed hic aliud mirabile occurrit à nautis nonnullis observatum, quod videlicet pyxis nautica, quando æquinoctialem lineam pertransiit & polo antarctico vicinior est, non amplius Septentrionem, sed Austrum ostendat.* (Quanquam quod hic de Æquinoctiali habet, id Scaliger d. l. ex navigationibus Ludovici Vartomanni & Fernandi Magellanis planè refutat. *Quod & Gilbertus* facit l. 3. c. 1. item *Hues Tractatu De Globis Part. ult. p. 219.*) Quin imò *Bodinus* Magnetem autumat quatuor ex æquo mundi regionum indicem esse, cardinum ac decumanorum: cardines appellat Septentrionis & Austri, decumanos Orientis & Occasus funiculos, Lib. 2. p. 245. Stupeo, inquam denuò, & eundem Magnetem tùm in Austrum, tum in Boream, tùm in occasum, tùm in ortum vergere, unum ex iis reputo, quæ Natura mirari nos voluit, scire noluit, *& in quo non quærenda Naturæ ratio, sed voluntas*, uti scitè ait *Plinius l. 37. c. 4.* Nec quidquam addo præter ista *Scaligeri* laudato loco: *Ego verò quid? Quid aliud, nisi unum verum? Nos in luce rerum tenui caligare, in mediocri cæcutire, in majore cæcos esse, in maximâ insanire. Quid aliud, quam me nescire?* Si tamen aut ego Autorum verba mentemq; satis assequor, aut ipsis etiam ubique fides habenda, nec torquent nos potius in re nihili, quæ sæpè, ubi Circumstantiæ omnes præstò, facilis solutu est.

§. 20. No-

§. 20. Nolumus tamen hîc determinatum quoddam & statum fixumq; punctum Magneti tribuere, cùm certis experientiis constet, eum lineam polarem nunc exactè servare, nunc variare ac deviare. Verissimum enim illud *Boetii l. 2. c. 251. Sed supra hæc omnia nihil mirabilius in Magnete, & quod magis Ingenia acutiora torqueat, mihi videtur, quàm quod ferrum illius virtute imbutum & ad æquilibrium positum ut ad omnes plagas verti possit, non præcise polare punctum ubiq; terrarum ostendat. Nam hic in Germaniâ octo aut plures gradus Orientem versus ferrum à polo declinat.* Adeoque tutius *versus* polos, quàm *ad* polos se dirigere dicitur. In eo Meridiano, qui transit per Insulas Azores sive Flandricas, nulla est Magnetis declinatiō, sed acicula Magnete tincta examussim cum meridiano coincidit. Unde & Nautæ Naturam ipsam putârunt sibi eo loci primum Meridianum ostendisse, qui prius ab Insulis Fortunatis seu Canariis numerabatur. Quin & propterea beneficio unius magnetis aliqui Longitudinem locorum exactissimè inveniri posse contendunt, quâ nihil difficilius in totâ Geographiâ. V. *Sennertus Epit. p. 426. & B. Porta cap. 38.* quod tamen *Gilbertus* negat l. 4. c. 9. In cæteris terrarum locis declinat acus nunc magis nunc minùs, nunc versus occidentem, nunc versus orientem. *In Germania* (verba sunt *Sennerti Epit. p. 427.*) *præcipuè circa Noribergam est declinatio 10. graduum, hic Witebergæ 9. circiter &c.* Sic *Conimbricenses* differunt *c. l. Deprehensum est à nautis præsertim Lusitanis, & iis qui in Fernandi Magellanis admirabili navigatione fuêre, cuspidem pyxidis nauticæ quibusdam in locis Arcticum rectà inspicere, ut in freto, quo ab Æthiopico mari ad mare australe novi orbis penetramus, alibi ad sinistram, alibi ad dextram vergere. Cujus rei caussa à multis investigata, incertum an ab ullo inventa sit.* Et diligentissimus horum observator *Robertus Hues Tractatu de Globis & eorum usu Part. IV. cap. XV.* pluribus hanc Compassi variationem delineavit, qui omninò videndus. Caussam rei, nisi Circumstantiæ locorum omnes habeantur & expendantur, difficillimum est dare. *Gilbertus* quidem *l. IV. c. 1.* dicit, Globum telluris in superficie suâ mancum esse & inæqualem, proindeq; vim totam telluris divertere in ejus peripheriâ Magnetica corpora versus robustiores & eminentiores continentes magneticas partes, sicq; ad fortiorē & eminentiorem Globi terrestris magneticam partem variationem

N 2 illam

illam dirigi. Sed pristinam suam cantilenam de vi Terræ magnetica repetit, & chordâ oberrat eâdem. Sapientiæ humanæ pars est, quædam æquo animo nescire velle. *Cur ringimur, aut laboramus anxiè*, Peucerus ait *De Div. p 368. b. ut monstremus causam, quare in Septentrionem se Magnes convertat: aut quare inter se dissideant brassica & vitis; cum reddi ratio nequeat alia, calido cur frigidum adversetur, nisi quia natura ita condita est.*

§. 21. Hæc de CONSENSU Magnetis cum ferro & polo: pauca de DISSENSU etiam. Quod senio ac ignibus superatus Magnes vim suam attractricem exsuat, haut forsan apposite admodum quadrabit huc. Ita de priori *Gilbertus Lib. 1. c. 6. Attrahendi virtutem aliquam Magnes amittit, & quasi senio tabescit, si aeri aperto expositus diutius, non in theca, limaturâ aut squamâ ferri repositus fuerit. Quare tali materia obruendus est: nihil est quod huic virtuti integra plane repugnat, quod non corporis formam destruit aut corrodit, non mihi si adjuncti fuerint adamantes.* De posteriori idem *l. 2. c. 38. Magnes ignitus nec ferrum ullo modo apprehendit, nec ferrum candens à Magnete ullo allicitur, & magnes etiam ab ignibus validioribus amburitur, & attractrices potentias amittit.* Et *B. Porta c. 2. Vidimus plerumq; non sine magnâ animi nostri voluptate magnetem accensis carbonibus tumulatum, caerulam flammam, sulfurea & ferrea eructare, quâ dissipatâ simul cum abeuntu animæ qualitate trahendi beneficium amisisse.* Et *cap. 5.* addit: *ubi semel virtutem per ignes amiserit, jam cadaver frustrà tentatur denuo vivificari.* Id accedere videtur propiùs, quod *Plinius* Magnetis quoddam genus statuit, quod ferrum abigat, Theamedem vocat. Verba viri sunt *L. XXXVI. c. 16. Alius rursus in eâdem Æthiopiâ non procul mons gignit lapidem Theamedem, qui ferrum omne abigit respuitque.* Ubi tamen hoc adjiciendum ex autoribus, quod Theamedes iste non sit diversus aliquis ab ipso magnete, sed quilibet magnes ferrum suis viribus imbutum, non quidem ab omni, sed ab aliquâ sui parte repellit, habetq; Sympathiæ & Antipathiæ Exemplum in seipso, sicut viperæ, Scorpiones, aliiq; venenata in seipsis & amicos suos & hostes habent. V. Jonston. Admir. Fuss. c. XI. & Gilbert. l. 1. c. 6. Boodt. l. 1. c. 151. *Porta* dicit *c. 8. Hic non minus jucundum quàm admirabile spectaculum oculis & animo repræsentatur, ut pars unius alterius partem sollicite quærat, alliciat & trahat, ut amico fruatur consortio,*

ſuoq; confoveat ſinu, altera alterius odio adeò flagret, & mutua naturarum odia exerceat, ut adverſis punctis admotis adeò adverſarij faciem abhorreat, ut alorſum ſe vertat. Et *Fracaſtorius De Symp. c. 9. Eſt & Magnetis genus, quod ferrum abigit, ex quo cultelli ita praparari ſolent, ut alter ferrum ad ſeſe trahat, alter pellat: quanquam nos cùm hoc experimentum in medium olim inductum eſſet, monſtravimus non id accidere, quod ferrum abigeretur, quamvis perpendiculum in latere, ubi erat magnes, pelli videretur, cauſam autem eſſe, quod Magnes ille eorum eſſet, qui magis ferrum quàm magnetem trahit. Applicitus ergò perpendiculo trahebat latus, in quo magnes non erat commiſtus, ex quo fiebat: ut latus alterum Magnete temperatum neceſſariò abſcederet, propter quod videbatur pelli ab applicito Magnete. Verùm nihil prohibet etiam talem inveniri magneta, qui ferrum pellat propter latens in eo principium, quod ferro contrarium ſit.*

§. 22. Celebratisſima cæteroquin eſt Magnetis Antipathia cum allio cæpisq;, item cum Adamante. *Magnes ferrum ad ſe trahit & viciſſim abigit, ſi allio confricetur,* dicit *Peucerus De Divinat. p. 370. Cùm ferrum fuerit rubiginoſum aut impurum, aut ſucco allij vel caparum oblitum, à Magnete non attrahitur,* ſcribit *EXC. SPERL. Inſt. p. 1049.* Et *p. 340. Celebre eſt magnetis & allij diſſidium, nam Magnes allio perunctus ferrum non trahit.* Eadem *jam Plutarchus prodidit l. 2. Sympoſiac. probl. 7. Plinius* ait *l. 37. c. 4. Adamas diſſidet cum Magnete lapide in tantum, ut juxtà poſitus ferrum non patiatur abſtrahi, aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat atq; auferat.* Et *Jul. Solinus cap. 55.* tantam eſſe diſſenſionem inter Adamantem & Magnetem, ut adamas poſitus juxta Magnetem rapere ferrum non ſinat, ut ſi admotus magnes ferrum traxerit quaſi prædam quandam quidquid Magneti hæſerit, Adamas rapiat atq; auferat. Et DN. SPERL. inquit *Synopſ. L. VI. cap. 6. Axiom. 2. Adamas hoſtis Magnetis eſt. Vires enim huic aufert, adeo ut ferrum ampliùs trahere neſciat. Recte Nollius ait: Huic lapillo (adamanti) Natura rerum omniumparens tale cum Magnete diſſidium ingeneravit, ut illo præſente omnem vim tractricem à Magnete direptam planè conſpicias.*

§. 23. Scrupulos tamen hîc ac ſalebras tot tantasq; movent alii, ut fermè, ubi pes tutò figatur, non liqueat. De allio

Bodinus inquit *Theat. Nat. p. 249. Plerique putant vim Magnetis Adaman[illegible] tem prohibere, sed illud tàm falsum est, quàm Magnetem allij succo obli[illegible] vim amittere, aut chordas iliorum ex agno & lupo nullâ concordiâ conci-liari, quæ tradita pro veris Experientia magistra rerum falsa esse compro-bavit, contrà vero quædam fabulosa ponuntur, quæ tamen vera docuit [illegible], puta cibum Ætiti lapidi concoctum aut attritum à fure devorari non [illegible] se, quod Dioscorides scripsit, ac propterea Græci hinc lapidem κλεπτολ[illegible]χον appellant.* Item *Porta cap. 48. Non solùm flatus & ructus [illegible]rum magnetem â suo trahendi munere non distrahebant, sed totus [illegible] co perunctus ita priores functiones obibat, ac si nunquam allio perun[illegible] fuisset, & ferè nulla, ne dicam minima differentia nominabatur, ne vider[illegible] antiquorum conatùs tàm irritos reddere. Deinde cùm famam perc[illegible]rer, utrum ab observatione pyxidis, qui cepas & allia ederint, expel[illegible]tur, responderunt, aniles fabellas & ridicula relata esse, & quod ej[illegible] homines prius ferè vita quàm ab esu allij & cepæ se possent abstinere.* Similiter *Boëtius l. 2. c. 252. Magnes ut igne vires omnes amittit, [illegible] nonnullis putatur caparum alliique odore effætus reddi, sed fal[illegible] Neotericorum declarat Experientia, qui allij succo inunctum nihil v[illegible] amisisse testantur, ut & nautarum, qui dum quotidiè allium cep[illegible] tes acui magneticæ adstant, nihil illi injuriæ inferri, sed suo o[illegible] fungi observant.* De Adamante vero *Porta* iterum *cap. 53. Experien-do frustulum magnetis accepi, quod vix quatuor grana p[illegible] scobem ei tenacissimè affixi, inde adamantem admovi, [illegible] magni-tudinem ter quater superabat, cujus præsentiâ magn[illegible] ferrum non abjecit [illegible] ferream scobem mox ab eo distraxi, ac justo intervallo disjunxi, & etia[illegible] adamante præsente ad se rapuit.* Et *Petrus Laurenbergius Horticul[illegible] Lib. I. cap. XI. Quam præposteræ opiniones hodie occupatos tenent [illegible]mos plerorumque de Adamantis invincibili duritie, ejusdemque ab [illegible] Sanguine emollitione? de Magnete perdente tractricem suam virtutem [illegible] pone eum ponatur Adamas? & similes nugæ, quarum vanitatem [illegible] diana effectuum frustratio evidenter convincit. Experimur enim [illegible] res non est artificibus e trivio adamantem levissimi malleoli i[illegible] per[illegible], characterum insculpturam pati, ejusque duritiem non ma[illegible] no sanguine retundi, quam chalybis aut æris aprætersluente V[illegible] Magnetem nihilominus allicere ferrum, etiamsi adamantibus [illegible] o-rat[illegible]*

rutus sit. Nos Experientiæ quidem temere obloqui ac occursare nolumus, quin potiùs si ea illibata notoria sit, ei honorificè assurgimus. Βελτιὸν ἐστι, καὶ δεῖ ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, h. e. præstat & oportet veritatis tuendæ gratiâ vel nostra ipsorum decreta evertere, siquidem Philosophi simus: ambobus enim caris pium est veritatem anteponere, docente *Aristotele l. 1. Ethicor. ad Nicom. cap. 4.* aut ut alii numerant *cap. 6. sub initium.* Quæ verba Scaliger divini pudoris plenissima nominat *Ex. VI. 4.* additq́; *Ut non solùm amicorum opiniones, verùm etiam proprias sententias delere, veri intersit Philosophi ad veritatis præsidium atq; conservationem.* Existimamus tamen interim, unius aut alterius negationem parùm præjudicare posse plurium affirmationibus: & Circumstantiæ vel inprimis omnes ubiq; sollicite ponderandæ. Ad verba Portæ hæc DN. Professoris Nostri in specie reponimus *Exercit. Physic. VI. Lib. VI. Sed neq; dum satisfactum Sententiæ à Baptista Porta. Cum enim plures species adamantis sint, Experientia quod de unâ confirmatum dedit, non protinus ad cunctas rapiendum. Plinius sex adamantis genera refert, Indicum, Arabicum, Cenchrum, Macedonicum, Cyprium & Sideriten. De uno quod non processit, de altero procedere posse nil vetat.* Quorsum & ipse *Boëtius* digitum intendit *L. 2. c. 4.* inquiens: *Magneti vires adimere Adamantem, quò minus ferrum trahere possit, ut hactenus creditum fuit, falsum multorum Experientia deprehenditur, nisi varia Magnetis & adamantis genera experientes fefellerint.*

§. 24. Atq; hæc ea sunt, quæ super hâc difficillimâ materiâ meditatus ex gravissimis autoribus, quorum adeò certis de causis ad nauseam fermè singula verba afferre libuit, aleæ publicæ committenda ratus sum. Tu, ô Bone, quæ sunt benè dicta, DEO tribue, & da gloriam; quæ sunt malè dicta, Homini imputa, & da veniam. Hæc nostra sola perfectio, si nos imperfectos agnoverimus. Nulla dies tàm serena & defecata est, quam non nubecula aliqua tristet, & nulla facies tam formosa, quæ non ostentet suos nævos ac maculas. χαλεπὸν ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψοντα, pronunciat *Galenus 2. de comp. med. cap. 1.*

DISPUTATIO VI.

Resp. CHRISTIANUS FOELKEL

Vratislav.

NOn infra plebis rusticitatem dejiciunt curas suas, sed cum Regum miscent majestate, terrâ nascentia qui ponderant. Primus Paradisum plantabat Gloriosus Deus, & primum mundi Hospitem ac monarcham colonum ei dabat. Ipsa DEI Sapientia Cedrum se vocat in Libano & Cypressum in monte Sion, Palmam in Cades & Rosam in Jericho, Olivam in campis & Platanum in plateis, Cinnamomum, Balsamum, Myrrham, Terebinthum *Sir. XXIV. 17. seqq.* Et quoties à rusticana operis elegantes similitudines ducit Sanctus DEI Spiritus? Salomon locutus est de plantis, à cedro quæ est in Libano, usque ad muscum qui prodit è pariete *I. Reg. IV. 32.* novitque differentias plantarum, & facultates radicum, *Sap. VII. 1. 8.* Cyrus Persarum Rex cibum priùs non capiebat, quam ad sudorem usque hortulanæ rei vacâsset. Laertes senex ab Ulysse Filio Trojâ reduce in horto quærebatur, & suis comitatus famulis plantas expurgans à zizaniis offendebatur. Romanos quid [illegible]ram? Curios & Fabricios novimus serentes, occantes, Quinctios arantes & Dictaturam induentes, & uno verbo, non [illegible] solùm ab agris, sed duces. Nec Imperatorum nos destituunt exempla, qui fascibus abdicatis rutra sumserunt, *partimq; artibus in horto culturæ & arborum institutionibus triumfales accommodârunt manus*, uti de Carolo V. Strada loquitur Belli Belgici Dec. 1. Lib. 1. Ut [illegible] veri tripode Celeberrimus DN. SPERLINGIUS pronunciat [illegible] *Anthrop. c. 1. p. 61. Herbæ & arbores non humiles modo morentur [illegible], sed illustria quoq; capita, Salomones & Diocletianos, Sullas & [illegible]los.* De Utilitate rei nihil nunc tangam, quâ puram & sine sanguine, sine animalibus cœnam dives terra ministrat nobis, de verbo Virgilii, Claudiani, Horatii ac Martialis, *dapes inemtas*. Hoc tantùm assero, deplorandamnè magis dicam, an detestandam esse Physicorum plurimorum sive ignaviam, sive ignorantiam, qui spinosis multis ac futilibus de Materiâ Primâ, de ejus Actu Entitativo, Quantitate partim Determinatâ, partim Indeterminatâ, Poten-

Potentia partim Universali, partim Particulari, Unitate partim in Esse intelligibili, partim in Esse sensibili, Amore partim Concupiscentiæ, partim Complacentiæ, Ingenerabilitate si non Subjectivè, tamen Terminativè & Objectivè, & hujus furfuris infinitis aliis ad nauseam usq; ingestis ac regestis Quæstionibus, tàm nobilem, tàm utilem Objecti sui partem sicco planè pede prætericrunt, ac ad Medicos omnimodis amandârunt. Physicæ debetur hæc opera & Physico, cujus est non in Essentias tantùm Corporum Naturalium, sed & in Affectiones ac Qualitates tùm Manifestas, tùm Occultas, sed & in vires ac operationes haut perfunctoriè inquirere. Minister deinde Naturæ Medicus est, & ubi Physicus desinit, ipse incipit, θεωρίαν ad πρᾶξιν, Scientiam ad Artem laudabiliter applicans. Graviter perstringit incuriam hanc, & illatam Physicæ insignem injuriam Excellentissimus Academiæ Nostræ Theologus ac Philosophus DN. D. SCHARFIUS, Præceptor meus Observandus, cum Præfatione Physicæ Recognitæ ita disserit: *Magna volumina & plaustra immensa Commentariorum habebis de proœmialibus, de Metaphysicalibus quæstiunculis, de materia prima, de privatione, & similibus aliis communioribus speculationibus. Sed si de virtutibus, viribus & proprietatibus rerum naturalium, si de causis effectorum & operum physicorum propriis, sine quibus Physica Scientia nulla est, & ne obulo digna: si de mineralibus, de metallis, de lapidibus, de gemmis, de plantis, herbis, ac arboribus quæsieris, vix aliquid in tàm vastis altercationibus Jesuiticis invenies, quod Physicam scientiam redoleat. Ne vetulæ de herbis, hortulani de arboribus, agricolæ de frugibus meliora te docebunt & certiora, quàm istæ Jesuitarum speculationes.* Nobis quidem non sedet, totam istam Plantarum doctrinam in agmen producere, & Botanicam quasi ex professo tradere. Non admittit id unius Dissertationis angustia, nec permittit studiorum nostrorum ac propositi ratio. Alius nobis scopus & altior meta præfixa est, quàm ut Naturalibus talismodi Contemplationibus toti velimus immorari ac immori. Quæcunque etiam hac in re hactenus dicta nobis sunt, aut dicenda proporrò erunt, non aliâ fini, quàm exercendi ingenii, judicii, lingvæq; gratiâ dicta sunt & dicenda erunt. Ut facile inducamus animum, veniam commissorum ac omissorum cum maximè impetraturos nos haut gravatim ab æquo Censore, si pluribus intentos minores adverterit ad

O singula.

fingula. Exfequemur ergò, aut fequemur faltem, ordine fic ferente, inftitutum noftrum præfens, & Sympathiam ac Antipathiam Vegetabilium perfequemur brevibus. Deus aufa felicitet!

CAPUT TERTIUM

DE CONSENSU ET DISSENSU PLANTARUM.

§. 1. Expendimus hactenus Corpora Naturalia SIMPLICIA. MISTA *Inanimata* etiam expedivimus. Reftant *Animata feu Viventia*. Hæc fubdividimus in Vegetativa & Senfitiva. *Vegetativa* PLANTÆ funt, Herbas puta ac Arbores, dirimente ita ipfo Domini Spiritu Gen. I. 11. & 12. Sensús his tùm Externos, tùm Internos, ob Animæ Sentientis abfentiam planè denegatum imus. Ut fuperftitiosè nimis putârit Anaxagoras, plantas effe animalia, & refpirare; Democritus, dolere ac gaudere; Empedocles, fexu diftingui & vere fentire; Zoroafter, timere, & intelligere humanam loquelam, ut quidem Plutarchus ipfis tribuit L.V. De Placit. Philofophor. Quibus & Plato exiftimatur fuum adjeciffe calculum. Sed Fracaftorius De Symp. & Antip. cap. XII. eum ita tutatur: *Plantis etfi neceffarium eft organum quoddam ad attractionem, non tamen propterea organi ea faciunt attractionem, quare nec fentiunt, nec cognofcunt nifi per transfumtionem quandam, quod miro quodam quafi ingenio difcernant, quæ fibi convenientia funt, & quæ contraria, ac per artificiosè compofitas vias trahant & pellant: atq; hoc effe arbitror, quod Plato voluit fignificare quare nec fimpliciter dixit fenfum habere plantas, fed fenfum quendam.* Erafmus quoq; hic graviter hallucinatus eft, nec fuo fe judicio parem præftitit. Sic enim *Scaliger* de eo l. 1. De Plantis p. 119. *Non meliori argumento idem opinatus fuit Erafmus in Manipulis fuis, è lignatoribus accepiffe fe, quod ipfi obfervârint, primum quemq; ictum arbores quafi incautas mollius excipere, poftea faucias cogere fefe atq; conftringere, neq; faciles vulnus admittere, neq; leviter admittere ferrũ adactũ. Nempe plus habuit fides carbonariis quam rationi. Nã ut ita verum fit, arbores in corticem, atq; id quod faltuarii vocant, alburnum ictús excipiunt primos, id quod quafi pinguedinem, quæ in animali conficitur, obtinet proportionem: deinde fubeft lignum fortius ad [illegible] ubi devenium, æque facilè recipere nequeunt dolabram.* Confertur idem tota Exerc. CXXXVIII.

§.2.Mi-

§. 2. Mira quidem hic memorat nobis idem Scaliger Ex. CLXXXI. 28. de Arbore quâdam octonûm pedum procerâ in Provinciâ Pudiferâ. Eam quippe rerum accessum videri sensu percipere. Appropinquante enim homine aut animali ramos constringere, recedentibus pandere. Adhæc etiam tactum prævenire, tùm sensu, ut putant, tùm sui, ut palàm videtur, quoad potest, subtractione. Hâc à causa nominari ab incolis arborem pudicam. Cui arbori affinem herbam prodiderit Apollodorus Democriti Discipulus, quam idcirco Æschynomenem appellaverit, quia admotam manum refugaret foliorum contractione. Quibus gemina tradit Salmuthus ad Pancirollii Nov. Repert. L. 2. Tit. 1. de Herbâ quâdam ex Brasiliâ Provinciâ primùm subvectâ, Lusitanis Sentidam, id est, sentientem nuncupatam, quæ ad omnem tactum jactumve salis aut pulveris folia claudat, eaque non nisi post discessum jacientis tangentisvè referet, ac denuo contrectata recludat, quin ipsum etiam accessum videatur sensu percipere, ac appropinquante homine aut animali ramos constringat, recedentibus pandat. Quin Christ. à Costa meminit alius cujusdam Herbæ Indicæ, quam & vivam & amoris vocat: si quis illam apprehendere cupiat, illicò folia contrahere atq; sub tenues ramulos recondere, si verò quis apprehendat, subito ita marcidam conspici, ut exsiccari videatur, & si manum quis retrahat, illicò nitorem suum recuperare, & toties evanescere, quoties comprehenditur: additq; porro, indigenas affirmare, utilem esse ad virgines corruptas restituendas in integrum, miræq; efficaciæ ad conciliandum amorem. Et stupenda magis Generosus Baro ab Herberstein de Agno vegetabili Tartariæ memorat in rerum Moscoviticarum Commentariis, quæ legi possunt apud DN. SENNERTUM *Hypomn. V. cap. 8. p. 507.* Keckermannum *Cursus Philosophici Disp. XIII. probl. 10.* Scaligerum *Ex. CLXXXI. 29* Fortun. Licetum *l. 3 de spont. vivent. ortu c. 45.* Jonstonum *Admir. Plantar. cap. 6.* Laurenbergium *Acerræ Philologicæ Centuriâ 3. Hist. 73.* Verum aut sublestæ fidei observationes illæ sunt, & oculorum offuciæ: Cardanus certè *De Rer. varietate l. 6. c. 22.* exserte fabulam vocat: aut Subordinatarum Formarum hic quoque egregium spectaculum Natura præbet. Quod de Sexu Plantarum ex illo Plinii L. XIII. c. 4. *Arboribus, imo potius omnibus, quæ terra gignit, herbisq; etiam utrumq; sexum esse, diligentissimi naturæ tradunt,*

 possit

possetoggeri, regerimus illud CL. SPERL. L. VII. Instit. c. 3. Q. I. *Saltem Sympathiam quandam concedimus, sexum autem non admittimus. Membris enim sexum discriminantibus destituuntur.* Utut ergò Botanici demonstrent palmam marem ac fœminam, persicum marem & fœminam, laurum item, ficum, cornum, cypressum, verbenam, abrotanum, spinachiam, & alias: tamen analogia tantùm subest, non resipsa. Mas censetur, qui corpore celsiore, sicco, ramis densioribus, validis, lignosis, cortice scabro; Fœmina, quæ corpore breviori, latiori, pingviori, ramis latis & imbecillibus, cortice levi. Mandragoræ radices viri nudi corpus repræsentantes sexus masculini, fœminæ fœminini judicantur. Et inprimis mares audiunt, quibus vires præstantiores, fœmellæ, quibus vires debiliores. Vid. Laurenb. Hortic. L. I. c. X.

§. 3. Etsi quamvis autem per dicta Sensu destituantur Plantæ, Consensu tamen propterea & Dissensu non vacant. Consentiunt autem tùm secum mutuò, tùm cum aliis corporum. Keckermannus scribit Curs. Phil. Disp. XIII. Probl. 8. *Squilla omnibus plantis beneficiaria est, & vicinitate suâ latiores efficit, ab occultâ quâdam & Naturæ ipsi ... rus abditâ potestate.* Et in Systemate Physico L. I. c. 8. *Inter alia, rosas & lilium etiam arcana est conspiratio, ut nempe lilia rosæq. flores multò fragrantiores fiant, si juxta lilium & rosas allium plantetur. Squilla marina facit, ut omnia quæ juxta eam feruntur, latius proveniant. Olera omnia in universum felicius crescunt, si juxta ea conseratur eruca.* Vitis & ulmi concordia famosa est apud Poetas, Latinos pariter & Germanos, quâ ad amores suos electandos usi, an abusi sunt? frequentissimè. Catullus Carmine Nuptiali Amœbæo:

Ut viduâ nudæ vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam.
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jamjam contingit summum radice flagellum,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluêre juvenci:
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.

Ovidius L. ... de Ponto Eleg. 8. *Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus.* Et ... Amor. Eleg. 16.

Ulmus amat vites: vitis non deserit ulmum:
Separor à Dominâ cur ego sæpè meâ?

Ubi tamen meritò ambegeris, quale id genus ulmi sit. Nam nostræ quidem sic dictæ arbores tantum abest ut apricis ac sublimibus in montibus penes vites consistant, ut potius palustria ac depressa ament loca. Philostratus in Iconibus narrat, Palmam marem atque fœminam ita se amare, ut nisi propè serantur ac se contingant, elanguescant. Addit Plinius L. XIII. c. 4. non sine maribus gignere fœminas, circaque singulas plures nutare in eum pronas blandioribus comis, illum erectis hispidum afflatu visuque ipso & pulvere etiam reliquas maritare, marisque arbore excisâ viduas pòst sterilescere fœminas, adeò esse veneris Intellectum. Et Cardanus similiter recenset *L. 8. Subtilit.* in Datâ Numidiæ urbe palmam fuisse, cujus fructus nisi masculi florentis ramus fœminæ misceretur ramis, non percoquebantur, sed macilenti cum osse prægrandi nascebantur, & nullo etiam auxilio allato delabebantur: quod si vel folium, vel cortex masculus adfuisset, ad maturitatem perductos.

§. 4. De rutâ & ficu Magirus habet L. V. c. 5. *Ruta fico ita amica deprehenditur, ut altera alterius vicinitate magis magisq; proficiat.* Et causam rei nutrimentum esse dicit: siquidem è ficu arbore naturâ calidâ calidum nutrimentum rutæ naturæ opportunum suggeratur. Quam eandem Keckermannus reddit L. V. Syst. Phys. c. 2. *Ficus arbor* (inquit) *est temperamento calidior, idcircò & nutrimentum habet juxta se copiosum & tale quod benè conveniat rutæ, utpote quæ & ipsa herba calidior est. Contra incredibilis est inimicitia oleæ cum quercu & brassica, cum fiat, quia hæ plantæ temperamento sunt contrario, & altera alterius alimentum vel corrumpit, vel absumit & subtrahit, ita ut uno loco & uno terræ spacio simul durare nequeant.* Non parumper tamen Experientiæ hujus fidem elevat Laurembergius Horticulturæ L. 1. c. XI. hæc referens: *De Rutâ & Ficu quod dicitur, eas juxta se positas lætiùs crescere, potest id quidem ita esse, non tamen ab occultâ Sympathiâ, sed à soli commoditate. In Galliis per vineas, in Germania per hortos ficûs feliciter plantantur, & sunt feracissimæ, ubi interim rutæ nullum est foliolum. Notissimum quoq; est, in hortis nostratibus rutam prosperrimè educari & floride luxuriare sine ulla ficus præsentiâ. Cùm præteritis annis*

ponè ficum plantâssem rutam, adolevit quidem illa, sed nihilo lætius [illegible] *quæ posita erat in areolis à ficu remotissimis, neq; peculiarem in illa* [illegible] *tatem licuit observare.*

§. 5. Consentiunt & Plantæ cum aliis Corporibus naturalibus. De Virgulæ divinæ ex corylo factæ cum metallis conspiratione [illegible] vid. Keck. Syst. Phys. L. 1. c. 8. & Peucerus de Divinat. p. m. 3[illegible] Transire quoque hic ea patimur, in quibus *plus curiositatis hum*[illegible] *quàm veritatis divinæ*, judice DN. SPERL. Instit. Lib. III. c. [illegible] 15. Heliotropium scilicet ex vulgari sententiâ omnibus horis cum Sole converti, Cichoream item & Lupini folia, autore Hier. Trago De Stirpium Historiâ L. 1. c. 91. & l. 2. c. 15. Ornithogalum ter [illegible] die ad Solis lubitum floris mutare colorem: Solis ope arborum [illegible] cos ex radice sursum adscendere circa solstitium brumale: eodem tempore folia olearum & salicum circumagi, (ita forsan *fr*[illegible] *arboribus, unde prolapsæ sunt, super iisdem arboribus, in qu*[illegible] *amplius, invertuntur*, acutè subnotante Scaligero Ex. CLXX. [illegible] semina malorum in mediis iis inclusa in contrariam se vertere partem. Cicero 2. de Divin. *Probatum est à Stoicis in ipsa bruma* [illegible] *rum jecuscula augeri, pulegium aridum florere brumali die:* [illegible] *tas rumpi vesiculas & semina malorum, quæ in iis mediis inclusa sunt,* [illegible] *contrarias partes se vertere, ostreis & conchyliis contingere, u*[illegible] *na pariter crescant & decrescant.* A.Gellius l. 9. c. 7 [illegible] *& creditum est, folia arborum brumali & solstitiali die* [illegible] *pars eorum fuerat inferior atq; occultatior, eam supra fieri, atq; expor*[illegible] *ad oculos & ad Solem. Quod nobis quoq; semel atq; iterum experiri* [illegible] *lentibus ita esse propemodum visum est.* Cardanus L. 8. Subtilit. [illegible] *tunt & arbores quædam folia solstitio, ut olea, tilia, ulmus, salix, pop*[illegible] *alia, alia vero ad cursum Solis toto semicirculo singulo die, ut l*[illegible] *Heliotropiumq;, unde illi nomen impositum. Causa hujus* [illegible] *postrema est humidum terue ad Solis calorem se habens, ut cor*[illegible] *quoniam & ipsum juxta ignem positum inflectitur ad illum.* Examinat causam hanc & examinat Antagonista Scaliger Ex. CLXX. 2. De Helenio stirpe Jonstonus ait Admir. Plantar. c. 23. *Cum Sole in* [illegible] *tem modo, modo convertitur in occasum, & quidem mira* [illegible] *ejus enim ortum quasi præ reverentiâ capite nutans reclinatur, &* [illegible] *rasit*[illegible]*, Solem semper respiciendo, & ad ejus radios se* [illegible] *pendens.*

pandens donec Sol occidat. Nos Tuliparum quidem flores, item liliorum & calendularum, aliarumque, ad conspectum Solis calyces suos aperire, noctuque recludere cernimus omnes, circumvertere caput ad Solis motum ne Argus quidem viderit. Nocturnum nempe frigus humorem florum constringit, unde se contrahunt & occludunt, diurnus vero calor eundem attenuat rursus resolvitque, unde se expandunt & aperiunt. Quod ipsum in linteis udis usu venire videmus, quæ frigori exposita constringuntur & addensantur, hypocausto vero calefacto illata dilatantur iterum.

§. 6. Minoris Luminaris vires in plantas paulò conspectiores sunt. In serendis seminibus Lunæ observandam ætatem agricolæ docent. Arbores crescente Lunâ prohibentur cædi, quæ ædificandi usum præbere debeant, quia secus cariem citò sentiunt. Plutarchus hoc jam tùm edisserуit Symposiacωr L. 3. Q. 10. *Ligna plenilunio cæsa fabri abjiciunt, utpote tenera & facilè flaccescentia propter humorem, & triticum coloni properant mense deficiente in borrea convehere, ut siccatum sit terendo aptius, grana verò quæ vigente Lunâ in areâ ponuntur, inter terendum rumpuntur maxime, remollita ob humiditatem.* Ita Plinius l. 18. c. 32. *omnia, quæ cæduntur, carpuntur, tondentur, innocentius decrescente Luna, quam crescente fiunt. Stercus nisi decrescente Lunâ ne tangito. Maximè autem inter menstrua dimidiaq; stercorato, Verres, juvencos, arietes, hœdos decrescente Lunâ castrato. Ova lunâ novâ supponito. Scrobes lunâ plenâ noctu facito. Arborum radices lunâ plena aperito. Humidis locis interlunio serito, & circa interlunium quatriduo. Ventilari quoq; frumenta ac legumina & condi circa extremam Lunam jubent.* Laurembergius scribit L. 1. c. 30. *Novi virum nobilem, qui prati partem unam demeti curavit augescente Lunâ, alterum Lunâ decrescente. Ista duplo plus graminis tulit sequentibus mensibus, quam hæc. Qui volet arundine liberare stagnum, is eam demetat intra aquas Lunâ decrescente, intra triennium exarescet omnis. Pari ratione betulæ aliæq; arbores silvestres detonsæ Lunâ minutâ, tardiùs regerminant, celerius Lunâ auctâ.* Et collectionem quoque Herbarum sub certo Stellarum positu instituendam esse, monet Experientissimus Sennertus eruditis hisce verbis Cap. XVIII. De C. & D. *Statuo in plantis quibusdam colligendis certos siderum adspectûs observandos esse.*

esse. Cùm enim inferiora hac à superioribus gubernentur, & cum in consensum habeant: non absurdum est, pro vario cœli positu vires plantarum quarundam fortiores vel debiliores esse. Putantq; plurimi doctissimi viri, quod notissima & celeberrima contra Epilepsiam planta pæonia non omnium votis satisfaciat, causam nullam aliam esse, nisi quod non justo tempore colligatur. Et Galenus lib. 2. de antidot. cap. 11. Alyssum herbam contra canum rabiosorum morsus inter caniculæ æstus colligendam esse docet. Nec prætereunda hic omninò est Chymicorum diligentia, qui cuilibet Planetæ ob vires qualitatesque consimiles certas Plantas assignant, & quæ cuilibet subjiciantur, ex signis peculiaribus ac characteribus colligunt. *Saturninas* faciunt, quæ adspectûs sunt horridi, colore nigro, fusco, pallido, sapore stypticæ, uliginosæ; puta aconitum, cicutam, taxum, helleborum, cupressum, senam, filicem. *Joviales*, quæ saporis ac odoris præl., coloris cærulei & oleaginosæ substantiæ sunt, v. g. balsamum, oleam, ribes, betonicam, lilium, origanum, rhabarbarum, corallium. *Martiales*, quæ coloris sunt ignei, saporis aspeti & urentis, aculeatæ & corrosivæ, ut urticam, carduum, rhamnum, rubum. *Solares*, quæ coloris sunt flavi vel fulvi, & in locis apricis consistunt, ut vinum, crocum, mala citria & aurantia, rorem marinum. *Venereas*, quæ sunt odoris lascivi, saporis dulcis, foliis glabris, humore lento, ut Satyrium, narcissum, rosam, nymphæam, hyacinthum. *Mercuriales*, quæ varii coloris sunt ac loco arenoso gaudent, ut parietariam silvestrem, aquilegiam, trifolium, juniperum, juglandem, sambucum. *Lunares*, quæ folia habent mollia, crassa, succulenta, locisq; gaudent palustribus & aquaticis, e. g. cucurbitam, cucumeres, melones, lactucam, allium, cepas, fungos. Vid. pluribus *Dn. Sennertus l. c.* & qui hîc prolixus valde est, & ipsas quoq; Zodiaci, aliasq; Fixas Stellas assumit, *Job Poppius* Chymicus & Destillator Saxo-Coburgicus & Brandenburgicus *cap. 5. & 6. Herbarii sui Germanici.*

§. 7. Reducimus ad Sympathiam hanc etiam illa genera Plantarum purgantium, quæ peculiari quâdam & occultâ vi peculiarem etiam aliquem humorem è corpore proliciunt, & eum quidem sibi cognatum ac affinem. Natura namque ibi, separatum ulter-

vi herbarum humoribus, qui sanguini permisti antè erant, turbata nimiopere & agitata, expultricis facultatis ope tùm purgans medicamentum, tùm humorem ipsum vitiosum exturbat. Sic Rhabarbarum flavam cum primis bilem evacuat, cassia item, tamarindi, flores Persicorum, terebinthina. Pituitam extrahit Mechoacanna, Turbit, Colocynthis, agaricum, opopanax. Melancholiam purgat Sena, Elleborus niger, veratrum, polypodium, epithymium. Quanquam etiam secundariò & ob vias adjacentes, & bilem & pituitam extrahat rhabarbarum, aloë, cassia, agaricus; & pituitam & atram bilem myrobalani, chebulæ; & bilem & pituitam & melancholiam sena, epithymus, polypodium, elleborus niger. Quæ pluribus diducta prostant apud DN. D. SENNERTUM *Epit. Instit. Medicinæ Lib. V. part. 1. sect. 1. c. XI.*

§. 8. Sed cumprimis Consensus iste Vegetabilium in ordine ad Hominem considerandus venit, totius Naturæ Epitomen. Hic enim est admirandus iste macrocosmi microcosmus, cujus usui bonoque creata sunt, quæcunque sunt. Omnia propter homines, homo propter Deum. Unde divina Trismegisti verba *L. De Pietate & Philosophia*: πρῶτον ὁ θεός, δεύτερον ὁ κόσμος, τρίτον ὁ ἄνθρωπος. ὁ κόσμος διὰ τὸν ἄνθρωπον, ὁ δ' ἄνθρωπος διὰ τὸν θεόν. Huic ergo Plantæ quoque aut suavia præstant oblectamenta, aut salubria medicamenta, aut proficua nutrimenta. Alimentosas maximè cum attendimus, similitudo earum cum naturâ nostrâ optimè elucet. Triticum firmam nobis ac perdurantem præbet alimoniam, & viscidítatem ac glutinositatem quam habet, facilè fermenti ac salis usu deponit. Secale omnium quasi ciborum materia est, miscetur omnibus, carnibus, piscibus, oleribus. Hordeum siccitate quidem ac suavitate ventriculum gravat, ptisana tamen hordeacea sive integra, sive percolata, & ægris & sanis succum confert præstantissimum. Non secus ac pisa ipsa flatulenta, siccaque & frigida sunt, quorum tamen jus saluberrimum. Et sic in cæteris. Ubi non cogitandum, quidquid à nobis cibi assumitur, id omne assimilari profundis Substantiæ Corporis nostri. Aliud certè longè excrementa nos docent, quæ in eâdem fermè quantitate egeruntur, quâ esculenta [illegible]

bantur. Ut notabiliter Aristoteles scripserit *l. 1. de generat. animal. c. 8. Illud quod transit ex alimento in substantiam nutriti, si compa-retur toti alimento, paucissimum omninò est.* Plurimæ sunt in nutri-mento assumto portiones heterogeneæ, quæ prorsus nullam ha-bent cum naturâ nostrâ similitudinem atq; convenientiam, proin-deque Humido nativo restaurando non conducunt. Itaq; Natu-ra tot alterationes, tot digestiones & coctiones prævias adhibet, quibus noxium separetur ab utili, & quod sibi simile, retineat. *[illegible] nutrimentum, quantò similius est ei quod nutritur, tanto [illegible] trit & citiùs convertitur*, dicit Albertus M. *de Nutrit. tract. 1. cap. [illegible] An veris tu, Naturam separare posse, retinere non posse?* quærit [illegible] Cardano Scaliger Ex. CCLXXX. 1.

§. 9. Per species ire nos si juvat, singulis corporis nostri par-tibus singulas cognatas plantas erit offendere, quæ ob occultas quasdam proprietates singularem invicem habent συμπάθειαν. Sic *Cephalicæ* sunt, Betonica, majorana, salvia, hyssopus, amaracus, rosmarinus, lilium convallium, ruta, calamintha, Pœonia, Rosæ, violæ, folia vitis. *Ophthalmicæ*, fœniculum, euphragia, ruta, verbena, majorana, Chelidonia. *Thoracicæ & Pneumonicæ*, hys-sopus, pimpinella, capillus veneris, calamintha, glycyrrhiza, u-væ passæ, malva, papaver album, hordeum. *Cardiacæ*, melissa, carduus benedictus, scordium, Veronica, Caryophylli hortenses, Radices Angelicæ, Zedoaria, cinamomum, rosæ, [illegible], buglos-sum, [illegible] citri, limonum, granatorum. *Stomachicæ*, absynthi-um, mentha, salvia, semen anisi, cumini, zinziber, piperitis, ga-langa, nux moschata, acetosa, acetosella, Persica, cydonia. *Spleniticæ*, ceterach, scolopendia, centaurium, lupulus, chamæ-drys, chamæpitys, nasturtium, cochlearia, sambucus, tamariscus, asplenium. *Epaticæ*, [illegible], spica, petroselinum, salvia, capil-lus veneris, endivia, [illegible], scariola, cichorium. De [illegible] sic Keck[illegible] *[illegible] Phys. L. V. c. 2. Theor. 2. Cichorea [illegible] pati, unde [illegible] habet benè temperatum [illegible], ex cujus [illegible] plerumq; [illegible] catarrhi, utitur cichorea, & [illegible] radicem [illegible], nec [illegible] deinde extrahat, eamq; [illegible]* [illegible] ad C L. Sennert. *L. V. Epist. [illegible]*

[illegible]lic. Part. 1. Sect. 1. c. 11. Peucerum *de Divinationibus p. 399.* & Comenium *Januâ Linguarum* [illegible].

§. [illegible]. De *Signaturis* Plantarum adhuc Chymici fovent haut spernendam Sententiam, eas scilicet vel externo adspectu statim indicare, quo cum membro corporis quælibet consentiat. Sic *Capiti* appropriata esse docent, quæ figurâ capitis referunt, puta Pœoniæ flores dum adhuc conclusi sunt, flores nymphææ, capita papaveris, spongiolas Cynorrhodo adnatas, Germanicè Schlaff-äpffel. *Oculis* medeni, quæ sunt luminosa & splendida, ut helenium, hypericum, chelidonium, flores tiliæ, euphragiam, uvam [illegible]nam, buphthalmum, calendulam: doloribus *dentium* auxiliari radices filicis, item semina granatorum & nucleorum piceæ: *Pulmoni* inservire pulmonariam, scabiosam, tussilaginem: *Cordi* poma aurantia, citrina, granata, cydonia, laurum. *Renibus ac Testibus* umbilicum Veneris, Satyria, orchides, bulbos, rosas albas, lilium album, aronem, nucem moschatam, & sic deinceps. Non nisi unius antè laudati, & in hoc genere versatissimi Joh. Peppen verba libet adscribere ex Cap. 1. Der Distel Blätter die stechen gleichsam wie spitzige Nadeln / deßgleichen die andern Distlen / [illegible] haben / wie sie wachsen / item der Schlehedorn / die Rosen-stauden / Hergotts-dorn / Hagendorn / sampt andern stachlichten Kräutern / die vor unsern Augen gleichsam verächtlich erscheinen. Aber die Natur zeiget damit an / daß keine bessere Hülffe sey wieder das innerliche stechen deß [illegible] in diesen und andern stachlichten Kräutern und Blumen [illegible] und zufinden. Et post: Die Wurtzel Satyrions ist [illegible] eines Knaben. Daher die Natur auch anzeiget / daß dieselbige so [illegible] den Mann der Unkeuschheit stercke / die [illegible] aber dargegen verhindere solche Würckung. So hab ich auch erfahren / daß kein besser Kraut zu den Brüchen sey als das [illegible]-kraut. Rursus: Warumb ist die chelidonia eine Artzney [illegible], deßgleichen die gelben Blümlein in den weissen Lilien / der Saffran / die Rheinblum / das Rhabarbarum und dergleichen? von wegen ihrer Signatur und Anatomia, denn die chelidonia so bald man dieselbe abbricht / gebet alßbald ein gelber Safft herauß / welcher anzeigen thut / daß diß Kraut zur Gelb-sucht dienstlich sey. Et iterum: Die Nessel haben auch [illegible] andere signaturen / als daß die Blätter zerkerbet sein wie eine Sege / diese Signatur zeiget an / daß diese Kräuter für das

Grimmen vnd reissen im Leibe gutt sein / gleich wie eine Sege [illegible] also zerreist die Darmgicht vnd die colica den Leib von wegen [illegible] mächtigen W hetazen. Et sub finem: welche Kräuter auff den [illegible] grosse Adern haben / dieselbe dienen wiederumb / daß sie das reissen [illegible] Adern stillen / oder die Geschwulst der Adern legen vnd die [illegible] Adern zusammen heilen / alß der breite Wegerich / der spitzige Wegerich / der Rosen Wegerich / der Wasser Wegerich / der Lettig vnd seines gleichen. Hæc ille. Quanquam & doctissimus Cardanus in notitiam [illegible] jam tùm venisse videatur. Dicit enim *L. VIII. de Subtilitate* [illegible] *quædam, quæ figurâ ipsâ vires produnt: veluti echii semen, quod [illegible] serpentis simile est, adversus etiam venena viperarum præstantissimum [illegible] lium præbet: & napelli flores antequam aperiantur, capitis humani [illegible] tui seu potius calvariæ effigiem præbent: etenim radix ipsa lethifera [illegible] dum est. An hoc quidem casu, an ratione quâdam naturali co[illegible] lior aliqua mens hoc præstitit.* Videantur hanc in rem egregia plura apud Alstedium *Encyclop L. XIII. part. 7. c. 6.* & præcipuè apud Bartholinum *Phys. Spec. Part. 3. L. 2. c. 4.* Non temnenda [illegible] inquam, hæc ducimus: *neq; cum Libavio* (verba sunt D. D. Sennerti loco sæpè citato) *in Alchymia triumfante p. 537.* [illegible] *tis Medicæ p. 125. facile dixero, fortuitum esse, si re[illegible] nis formis.* Deus & Natura nihil faciunt frustrà. Itaq; [illegible] Formâ pendet rei essentia, proprietas & operatio: [illegible] figura. Ubi si Experientiâ Duce & Labore Comite mortales porrò inquirerent, possent tandem doceri à fagis & quercubus, [illegible] violis, sine Magistro, de rebus multis & magnis. [illegible] namque crebrum acquiri hæc omnia verum est. Acquiri inquam. Hinc quando Chymici Characteres istos etiam ad Adamum applicant, qui ex eis naturam animantium perviderit, & appellationes, quæ absolutissimæ erant Definitiones, indiderit, in eo [illegible] verò frustrà haut dubiè sunt. Connata erat Protoplasto Sapientia, imò concreata, non comparata.

§. 11. Hæc de CONSENSU: sequitur DISSENSUS. De brassica & vite hæc J. B. Porta tradit *L. 1. Magiæ Nat.* [illegible] *cialia sunt brassicæ & vitis odia, ac spectanda earum [illegible] cum intortis claviculis omnia complecti soleat, solam ref[illegible]*

[illegible]

cam: *nam propè sentiens in adversam partem se torquet, ut si quis eam admoneret hostem esse in propinquo, dumq; coquitur brassica, vinum vel si paucissimum instilles, nec coquitur, nec ipsius color constat. Unde Androcides hoc exemplo usus medelam contra vinum conjectatus est, brassicam videlicet posse temulentiam propulsare, ut Theophrastus inquit, quippe cum vitis etiam odorem brassicæ refugiat. Ipsumq; olus, quo vitis fugatur, adversum cyclamino pemresscit, ut unum vireat, alterum areat necesse est, juxtaq; consociata sæpè aridæ spectantur. Cyclaminus vino additus ebrietatem auget, quam aufert brassica, ut diximus. Quis admonet vitem*, quærit similiter Erasmus Colloq. Amicitia, *hostem esse in propinquo? Est enim brassicæ succus vino contrarius, eoq; solet edi adversus ebrietatem. Nec deest brassicæ suus hostis. Siquidem opposita cyclamino & origano exarescit.* Sumserunt ea dubio procul ex Plinii L. XXIV. cap. 1. ubi: *Quercus & olea tàm pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe depacta moriantur, Quercus vero & juxta nucem juglandem. Pernicialia & brassicæ cum vite odia, ipsumq; olus quo vitis fugatur adversum Cyclamino & Origano arescit.* Et l. 20. c. 9. idem docet, brassicam esse inimicissimam vino, ut vitibus, antecedentem in cibis juvare ebrietatem, postea sumtam crapulam discutere, & eam præcipuè vitem fugere, aut si non possit fugere, mori. Quin L. 19. c. 8. adjicit, brassicâ corrumpi in dolio vini saporem. Causam quærit in manifestis Qualitatibus Keckermannus *Curs. Philos. disp. XIII. Problem. 8.* cùm inquit: *Vitis & brassica vicinitate mutuâ tabescunt, quia temperamento sunt contrariæ, & altera alterius alimentum absumit vel corrumpit.* Sic & Magirus *L. V. c. 5. Brassica sub vite non proficit, quoniam vitis radices alimentum copiosius exhauriunt, vitisq; umbra Solis illustrationem impedit.* Verum enimvero ægrorum somniis hæc similia pronunciat Laurenbergius *Lib. cit. c. XI.* & tum ex Erasti *L. de occult. propr. med. c. IV.* contrarium evincit, tùm de seipso hæc adducit: *Ego annis præteritis circum & juxta bis centum taleolas vitium, quas Martio mense, ut solet fieri, à vite putaveram, & ut radices agerent, plantâram, seminavi brassicam, & communem & Sabaudicam, densè admodum. Non solum brassica luxuriosissime crevit, sed taleolæ ad unam omnes germinârunt hilariter, & succreverunt in magnam proceritatem.*

zem[illegible]. *Elapso triennio cùm jam ad fructificandum prorsus* [illegible] *derentur, iterum applantavi brassicam magnâ copiâ: ea nihil* [illegible] *vit, quò minus vitis mea novella dederit mihi racemorum proventum* [illegible] *uberem ad votum meum.* Gemina his habet in Acerra Cent. [illegible] 46. Ita videlicet fabularum tàm plena est res Physica, quàm [illegible] muscarum. Damus persæpè plus alienis auribus & oribus, quàm propriis, & velut Edicta majorum dicta venerati, non [illegible] dum videmus, sed quà itur, posteriores semper cadentes in[illegible]ter super prioribus.

§. 12. De Cicutâ & Rutâ idem Porta ibidem scribit *C*[illegible] *& ruta sibi invicem adversantur, ruta non nisi* [illegible] *contrectatur, quam nisi* [illegible]*, perniciosa nascentur ulcera* [illegible] *men per ignorantiam nulla manu runcaverit, prurigo atque* [illegible] *cesserit, manus cicutæ succo perlinito:* [illegible] *ruta* [illegible] *xam obtinet, quæ cicutæ succo extinguitur, adeo ut* [illegible] *venena sint.* Quæ quidem non improbabilia videntur, [illegible] constet genus veneni cicutam [illegible], cui ruta fortiter resistit. [illegible] hortulani præcipiunt, salviæ, sub quâ ut plurimum [illegible] bufones familiariter delitescunt, rutam pone adjungendam [illegible] quò à venenato afflatu salvia salva fit. Quam in salviæ mentio- nem dum incidi, peropportunè mecum in memoriam [illegible] Narrationis Bartholini, quam *Physic. Special. Part.* [illegible] his profert: *Digna relatu est Historia, quam ex Bocat*[illegible] *de eo qui in horto juxta* [illegible] *fruticem dum luderet cum* [illegible]*, & dentes ac gingivas foliis salviæ confricaret ac detergeret, ex tempore* [illegible] *mortuus concidit. Cumq; veneficii argueretur amasia, &* [illegible] *periit amasius monstraret, ex ea ipsa salvia decerptis foliis* [illegible] *omnium adstantium stupore interiit. Inventus nempe* [illegible] *bufo prægrandis & luridus sub salvia illâ, hic enim maxime* [illegible] *& reficitur, qui* [illegible] *halitu plantæ infecerat.* [illegible] *tam salviæ comitem in hortis perpetuò jungendam, nec* [illegible] *aut herbarum partes ridens lectas, & illotas linguæ aut naribus* [illegible] *nus admovendas,* [illegible] *mense Majo, quo cum* [illegible] *effundas.* Hæc Cl. Bartholinus. Rutæ item ac [illegible] memorabile [illegible] est. Quod etsi Fracassorius c. [illegible] ramentum calidum & radices crassas refert, his verbis: [illegible]

[illegible]

ca & ruta inimicitia est, præter inimicitiam specierum inde fortasse putandum est accidere, quod utraq; calida est & crassarum radicum, quare cum multum humidi qualibet ad se trahat, fit tandem, ut juxtà sata præ humoris inopia arescant; jure tamen à Scaligero audit Exerc. CCCXLIV. 9. *Dissidio cum ruta & brassica laborent, causam iidem* (qui omninò detestantur occultas proprietates, easque inscitiæ asylum contumeliosis verbis vocant,) *reddere conati sunt. Utraq; inquiunt, calida cum sit & crassarum radicum, quasi avaritia & cupiditate humidi copiosè attrahendi simul invidiam conflari, simul odium. Etiam vero inter Rapum & Cucumerem asininum? aut inter Betonicam & Cyclamini procera speciem? his enim radices vastæ: inimicitia nulla mutua.* Aristolochiæ rotundæ binæ uno & eodem loco mutuo se ferre nolunt, quod naturæ miraculum prædicat Hier. Tragus *De Stirp Hist l. 2. c. 78.* Cucurbitæ oleo apposito retrahunt se in adversas partes & recurvantur, ut ab oleo se avertant, quantum possunt. Fracastorius scribit c. IX. *Cucumis recurvatur supposito oleo, quoniam aquæ multum continet, præsertim dum in incremento est, aquæ autem & oleo non parva discordia est, natura contrario: Cum igitur per contrarias species alterum ab altero abscedat, crementum cucumeris in latus fit, unde recurvari videtur.* Sicut & aliàs oleum ac pinguedo quæque arboribus in universum noxia est. Ignis quippe plurimum in se continet, qui nutrimento plantarum non est idoneus. Unde Plutarchus l. 2. Symp. Probl. 6. cum dixisset, nullam abietem, pinum aut piceam (oleosâ nempe pinguedine adeò perfusas, ut & elacrumentur) pari sibi quidquam novellorum surculorum per insitionem adoptari, causam suggerit: τὸ γὰρ ἔλαιόν φασι τοῖς φυτοῖς πολέμιον, καὶ τάχιστ' ἂν ἀπολέσθαι φυτὸν ὃ βούλοιο χρισάμενον ἐλαίῳ.

§. 13. Inter Arborem vitæ & abietem odium est internecinum, quo ita sese aversantur, ut altera juxta alteram consita, non solum aversis & incurvis ramis divortium faciant, sed etiam abies parte ea, quâ arborem vitæ spectat, prorsus exarescat, reliquâ vegetâ & virente. *Qui nolit credere* (ait Laurenbergius l. 2.) *introeat hortum medicum Lugduni Batavorum, & rei veritatem videndo audiendoq; experietur, ubi præfectus horti has in primis arbores in Exemplum admirabilis antipathiæ proferre solet.* Et ad summam, quæcunque

que plantarum temperamentis dissident, etiam inter seipsas dissident. Calidæ dantur in primo, secundo, tertio, quarto gradu: dantur & frigidæ in primo, secundo, tertio, quarto gradu. Habentur siccæ ad omnes gradûs, habentur & humidæ ad quartum usq; Quas speciatim recensitas vide sis apud Dn. Sennertum *L. V. Part. 1. S. 1. c. 3. Epit. Instit. Medic.* & C L. Sperling. *Instit. Phys. L. VII.* [illegible] *Annot. ad Praecept. IV.* Manifesta est ratio ob contraria principia. Caliditas n. & Siccitas ignem Parentem referunt ac præferunt, [illegible] ditas & humiditas Aquam. Ignis autem & Aqua plus quam [illegible] nianis laborant discordiis, nec sede morantur in unâ. Unde non mirum, si, quando contrariarum qualitatum medicamenta [illegible] applicantur, unum impediat operationem alterius. Adde [illegible] Heracliti istud apud Arist. l. 8 Ethicor. Nicomach. c. 2. [illegible] φερόντων καλλίστην ἁρμονίαν, καὶ πάντα κατ' ἔριν γίνεσθαι. [illegible] *rebus dissimilibus pulcerrimum concentum, & omnia se [illegible]* Cujus dicti copiosam explicationem Fr. Petrarcha habet [illegible] *de Remedio Utriusq. Fortunæ.*

§. 14. Ut autem inter seipsas Plantæ capitalibus [illegible] odiis, ita non minus easdem inimicitias contra alia [illegible] runt. Venenis adversatur angelica, carduus benedictus, [illegible] um, absynthium, ruta, allium. Quod postremum [illegible] tra pestem & aerem venenatum, morsus item venenatorum animalium pauperculis insigne remedium præstat, [illegible] riaca Rusticorum dici meruit. Meminitque Volaterranus, [illegible] tempore [illegible] Rusticum, qui cùm serpentem per [illegible] ces in agro dormiens ignoranter admisisset, sese [illegible] ducatis alliis ceu præsenti amuleto curârit, virus tamen ac mortem uxori instillâsit in coitu. Schola Salernitana docet:

Allia, ruta, pyra, & raphanus, cum Theriaca nux,
Præstant antidotum contra letale venenum.

Additque ibi Commentator Jo. Curio ex Macro l. [illegible] c. 5.

Allia qui mane jejunus sumserit ore,
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diversarum mutatio facta locorum.

Horatius quidem ei valdè obliquus ac infestus est, & [illegible] proclamat *Epod. 3.* At ibi alia subest ratio, quod [illegible]

cor[illegible]

totâ odâ patet. Tenuioribus, macilentis, calidis ac biliosis hominibus nequaquam conducit ob insignem, quâ pollet, incidendi & extenuandi vim, caliditatem item & acrimoniam. Sic Caryophylli Spiritûs odoris suavitate mirè reficiunt, cerebro, jecori, stomacho & cordi amicissimi sunt, Syrupus quoq; ex eorum floribus paratus cordi opitulatur, adversus venena autem & morsûs animalium venenatorum prodest. Melissa item cordi & cerebro imprimis amica & utilis, Spiritus recreat, memoriam confortat, contra venena utilis est ac illita contra scorpionum, phalangiorum & canum morsus prodest, docente Sennerto *Epit. Phys. Lib. VI. cap. V. Class. 10. & 15.* Pertinet huc Gvajaci Ligni Indici, alias Sancti nuncupati, contra venenatam luis venereæ contagem insignis utilitas. Nascitur vulgò in Insula S. Dominici, in quâ præsertim morbus Gallicus tàm familiaris est, quàm apud nos papulæ, morbilli aut scabies, ut nec ejus contagium magnoperè quis reformidet. Usus ejus per famulum Indum innotuit, qui aquam Gvajaci propinaverat Hero suo Hispano ab Indâ muliere infecto. Et sic Deo visum, ut unde manavit morbus, inde etiam remedium ejus afferretur. Nec recidivam restitutus patitur, dummodo non in idem cœnum se provolvat denuò. *Ut meritò uno illo ligno Gvajaco* (verba sunt Henrici Salmuthi ad Panciroll. Tit. 1.) *Portugalliæ Reges plus commodi miseris mortalibus attulisse, Joh. Langius putet, quam omnes illos avaritiæ cuniculos metallorum auri & argenti fossores, Epistol. medicin. l. 1. Epist. 63.*

§. 15. Fraxinus adeò antipathetica Serpenti perhibetur, ut hic illius umbram quamvis in longum porrectam non ferat. Plinius de eâ ait L. 16. c. 14. *Contra serpentes succo expresso ad potum & imposita vulneribus opifera ac nihil æquè reperitur. Tanta q; est vis, ut ne matutinas quidam occidentesvè umbras, quamvis sint longissimæ, serpens arboris ejus attingat, adeo ipsam procul fugat. Experta prodimus. Si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignes potius, quam in fraxinum fugere serpentem.* Ricinus ac Carduus benedictus ad avertendos talpas usui esse traduntur. At fallax Experimentum est. *Talpas e reliquo horto suâ præsentiâ copiosâ ricinus non abegit, sed & passus est, illos juxta sese nidulari, terram proximam in colliculos attollere circumcirca, & integras arcas carduo benedicto consitas aliquoties mihi everterunt talpæ,* rescribit Lauremb. Lib. 1. c. 36. Hortic. *Doronicum venenum est, quod interficit canes, & quidem subito. Dederat suo Matthiolus, blandientem toto quo supervixit tempore expertus.*

Q

tus, septimâ horâ tanquam comitiali ictus exspiravit, Jonstonus Admir. Plantar. c. XVII. *Vulpes, accepimus, amaris amygdalis esitatis interire. Nos Vulpeculam, Aloe cum canibus devoratâ, vidimus extinctam*, scribit Scaliger Ex. CCXVII. 12.

§. 16. Nec hominem ipsum ab inimicâ Plantarum læsione tutum asserere potuit sua excellentia. Pœnâ talionis justissimâ, ut qui hostilitatem contra Creatorem professus erat, infestis vicissim Creaturarum odiis vivere expositus. Taxus arbor etiam umbrâ nocet cubantibus sub eâ viatoribus: & *in Arcadiâ tàm præsentis est veneni, ut qui sub eâ obdormiverint, intereant*, Jonstonus c. XLIII. De Junipero Virgilius testatur Eclogâ X. extr.

Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra,
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbræ.

At umbra Ens privativum est, quæ nullum edit positivum effectum. Rectiùs ἐπὶ τὰς ἀπορροίας σωμάτων causa reducitur, quos Plutarchus magni facit Sympos. l.5. Q.7. ubi: *Regio qui laborant morbo, eos sæpe cognovimus sanari, si in avem charadrium inspiciant, tali naturâ ut apparet, prædita animali, ut morbum è corpore affecti elabentem ad se trahat, & recipiat oculis tanquam defluentem quendam humorem.* Ad eadem effluvia ibidem refert, cùm aliquis afficitur & fascinatur ab altero inspiciente: quod quàm rectè fiat, nunc nihil attinet decidere. *Napellus tota vitium affert, sed radix maximè. Manu enim retenta quòmodo con[illegible], tenentem perimit*, Jonstonus c. XXX. De venenatis Ponti herbis Maro canit Ecl. VIII.

Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.

Cicuta præsentissimum venenum est, cujus cortice jam detracto succum aquæ mistum Chii Athenienses q; damnatis propinabant, ut sine sensu spiritibus vitalibus extinctis concciderent. Poma Persica in Perside, ubi primùm orta nomen sumserunt, letalia sunt, in Ægypto & alibi innoxia: ut contra Arum Cyrenis tam mite est, ut rapi modo in cibo[rum] usum veniat, in Græciâ & Italiâ nec crudum, nec coctum edi potest, Jonstonus c. XII. Rhododaphne apud Sardos non solùm dum editur, perniciosa est, & si quis sub illius umbrâ quiescat, amens fit, æstuat & inquietus fit, patiturque in ventre rugitum; sed si qui balneum ex illius lignis concalefactum ingrediantur, Syncopen pati consvevêre, Cardanus l.8. De Subtil.

§. 17. Et ut convenientia certarum Plantarum, cum certis corporis membris dabatur, sic & disconvenientia non minùs in propatulo est. *Capiti* adversantur succus absynthii, olivæ nigræ, arbuti fructus, cyclaminꝰ, cicuta, semen lolii. *Oculis* nocent semen cannabis, caules lactucæ, lentes, fabæ, raphanus, sinapi, cæpe, porrum. *Pectori* infestæ sunt nimis frigidæ, acres, acidæ, ut fructûs immaturi, oleum nucum. Mandragora adnata vitibus transmittit in eas vim somnificam, ut ex eâ bibentes in soporem labantur proclives: scribitq; Dioscorides, hâc uti medicos, cùm urere aut secare quem volunt. Lemnius explic. Herbar. Biblic. c. 2. testatur, cùm semel atq; iterum speciosum ac amabilem ejus fructum negligentiùs in Museo collocâsset, somnolentiâ fuisse pressum, redibat alacritas eâ remotâ. Idem Libycis accidit in bello contra Carthaginenses. Vinum n. in doliis corruperat Hamilcar, Lybicisq; id prædæ loco cesserat. Epotum id omnes somno oppressit, victoriamq; Carthaginensibus tradidit, Jonstonus c. XXIX. Et Hannibal à Carthaginensibus adversus Afros rebellantes missus, eodem strategemate ipsos iterùm cepit. Fugam namq; simulans, & paulùm retrocedens, vinum in castris reliquerat mandragorâ permistum, quo avide hausto barbari somno vinoq; sepulti à reverso milite trucidati sunt. Eodem modo Cæsar versus Nicomediam navigans à latronibus Cilicibus captus, eos dementavit ac obtruncavit. Conf. Porta l. 8. Magiæ c. 1. & 2. ubi varia artificia soporiferorum medicamentorum præscribit ex mandragorâ, solano, papavere, opio. *Spiritûs* ergò *animales* talia subitò opprimunt, & stupore parti inducto sensum omnem sensim ac sine sensu hebetant. Sic in Ligno Buxeo narcotica quædam vis est & sulfur soporiferum. Id quod vel fœtor, quem contrahit, ostendit, & natale quo delectatur solum. In montanis enim & saxosis locis nascitur & luxuriat fœtidissimumq; exsugendo imbibit sulfur. Gravissimꝰ dentium dolor sedatur, dentiscalpium ejus oleo si intinctum & in radicem dolentis immissum fuerit, idq; tam subitò, ut miraculi & incantationis instar, dolor prorsus avolet & opprimatur, uti ex Quercetano refert Jonstonus l. c. cap. VIII. Idem facit Dutroa herba in Indiâ: ex cujus floribus bulbi quædam species oritur, quæ si orizæ, vino, aquæ, aut alii cibo potionivè admista bibatur, cerebrum invadit, & stultitiam quandam risu continuo absq; alio sensu aut ullâ rerum notitiâ excitat, conciliato etiam somno, qui in viginti quatuor horarum spacium duraret, nisi pedes aquâ frigidâ abluantur, unde Lusitanæ ac Indæ mulieres maritis ignaris eam propinant,

nant, ut securè adultero copiam nefandæ libidinis faciant, viro vidente ac ridente, memorante Salmutho l.c. Idem de Tabaco seu Nicotiana [illegible] tuendum videtur, cùm caput impetu aggreditur turbatq;, & dolorem dentium aut sedat penitùs aut tollit. In Hispaniolâ occidentali Insulâ [illegible] quâ ad nos defertur, indigenæ igni admoti spiritum flatumq; ad se [illegible] hunt, deniq; tantum fumi sorbent, ut ora, guttura & capita impleantur, tantam interea patientiam præstantes durantesq;, quod voluptatis quam inde percipiunt, non pœniteat, seq; immiti illo fumo adeò inebrient, ut penitus sopito omni sensu è mentis potestate exeant, & tanquam exanimes in terram concidant, referente Benzone Historiâ Novi Orbis l. [illegible] c. 26. Quin & in opio nostro eandem vim ναρκωτικὴν καὶ ὑπνωτικὴν est animadvertere. Spiritus namq; sulfureus beneficio occultæ alicujus & peculiaris proprietatis, in cerebro Spiritûs admirandâ vi sopit, & stupidos ac immobiles, atq; ita ad actiones animales edendas ineptas reddit. Ubi sane talis ratio non sufficit, qualis in chamæmelo, anetho, lini semine, malvâ, oleo amygdalarum dulcium, butyro recenti insulso aut lacte tepido reddi potest, quod calore tepido blandoq; prædita corpori nostro temperie sint simillima, ac plerumq; etiam mollia & pingvia, partemq; ut minus dolori apta sit, laxent & emolliant. Altior vis subest, & quæ mentis scrutinio penitrari non potest. V. Sperling. *Inst. Lib. VII. c. 6.* [illegible] Dn. Sennertum *Epit. Phys. Lib. VI. cap. V. Classe XII.* & uberius *Lib.* [illegible] *Pract. part. 2. cap. 1. Qu. 1.* Concludo verbis Peuceri De Divinat. [illegible] *A Formis & Qualitatibus primis, secundis, vel occultis, συμπάθειαι sunt & ἀντιπάθειαι rerum. Major est occultarum vis, ut quæ propius formis adsunt & exactius congruunt. Per hoc enim admirando modo in res diversissimas disjunctas à se intervallis vires actionesq; suas diffundunt atq; extendunt. Sed velle inquirere quæ sit harum natura, quâ vi cieantur, quomodo vim suam peragant, est rem tentare impossibilem. Sic Deus condidit naturam, & certis eas distinxit formis, quibus vires indidit certarum actionum efficientes. Atq; ut formas ignoramus, ita vix unquam, quæ ab his fluunt ac pendent, occultarum qualitatum naturas pervestigabimus & assequemur.*

DISPUTATIO VII.

Resp. JOHANN-SEBASTIAN Güth/Meinunga-Hennebergico-Francus.

§. 1.

NOn est bruta res Bruta contemplari. Repræsentavit nobis ipse Deus in ipsis pulcerrimas & faciendorum & fugiendorum imagines. Ne sitis sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, monet Hieropsaltes Regius. Privavit Deus Sapientiâ Struthionem, nec dedit illi intelligentiam, dicit Creator ad Hiobum. Canis reversus ad suum ipsius vomitum & sus lota reversa ad volutabrum cœni, Petro Apostolo improbatur. His ergò ne se homo assimilet, princeps animantium, nec sub humanâ specie vulpem aut lupum gerat. Graviter, ut omnia, Chrysostomus Homil. 23. ad pop. Antiochenum: *Hominem te agnoscere nequeo: cum nempe tanquam asinus recalcitres, lascivias autem ut taurus, tanquam equus vero post mulieres hinnias, ventri tanquam ursus indulgeas, ut mulus carnem impingues, & malum memoriâ teneas velut camelus, porro rapias quidem ut lupus ac ut serpens irascaris, ferias ut scorpius, sis subdolus ut vulpes, nequitiæ autem tanquam aspis & vipera venenum servis, ac sicut ille malignus dæmon fratres impugnes: quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talia in te naturæ signa cum non intuear.* At alia suppetunt Exempla in animalibus gratitudinis, mansvetudinis, fortitudinis, prudentiæ, quæ imitanda nobis sedulò. Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce Sapientiam ejus, quæ sine exactore præstat sedulitatem, Salomon hortatur. Milvus in cœlo cognovit tempus adventûs sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem meus non cognovit, & populus meus non consideravit, Jehova queritur per Prophetas. Videte volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, neq; convehunt in horrea, & Pater vester cœlestis alit illa, Salvator admonet. Admonitionibus hisce summo conditori Deo audientes nos, considerabimus in præsens bruta animantia, & Consensum eorum ac Dissensum diligenter investigabimus.

§ 2. Disputabat Salomon Rex de Jumentis, de Volucribus, de Reptilibus ac de Piscibus 1. Reg. IV. 33. En Divisionem Brutorum quadripartitam, in quâ exhibendâ alioquin hærent & laborant nimium quantum Physici. Acceptabimus eam grati, & disputabimus nunc quoq; brevibus de Gressilibus, de Volatilibus, de Reptilibus, de Natatilibus. Generaliter tamen id præcognoscendum prius est, quod suavis inprimis Consensus detur inter quælibet Bruta sui generis. Hinc Adagia: Similis simili gaudet, & æqualis æqualem delectat. Semper similem ducit Deus

ad similem. Cicada cicadæ cara, formica formicæ. Graculus graculo assidet: ovis post ovem ambulat: sepiam (aut melanurum rectius, ... Athenæo & Rondeletio reponit Ulysses Aldrovandus, Vir prodigiosæ in Naturâ diligentiæ, sed qui ad candelæ instar, dum aliis inservit, ... absumsit, *De Piscibus lib. 1. cap. 9. p. 18.*) perca sequitur. *Gregales in ... lucrum genere, columbi, grues, olores: nullum cui ungves adunci, gregatile esse perpendimus: complura etiam inter nantes Piscium genera ... tim degere scimus, ut quos cursores vocant & thunnos, & limosas, & ... mias*, tradit Aristoteles *Lib. 1. Hist. Animal. c. 1. Boves & pascunt per societatem atq; consvetudinem, & si unus aberrârit, reliqui seqvuntur. Quapropter boarij nisi prævenerint, totum armentum requirant necesse est*, scribit idem *Lib. IX. c. 14. Et cap. 3. Caprarum ex grege si quis unam ... mento dependente, quem aruncum vocant, apprehenderit, cæteræ ... velut stupidæ suos in illam unam oculos conjicientes.* Simile huic ... quod Plutarchus habet *in Lib. maximè cum principibus viris Philosopho esse disputandum*, non procul à principio: *Eryngium, ajunt, si una capella in os sumat ipsam, primùm mox totum gregem subsistere, donec accedens Pastor ovi eam eximat. Tantam vim celeritatis odor ejus habet, qui ... in morem in proxima quæq; dissipetur atq; ea occupet.* Porcus ... amat, & cruenta pro eo gerit prælia. Hinc uno capto & ad laniena ... tracto, aut quocunq; alio modo vexato, accurrunt cæteri ... & grunnitu, sæpè & incursu suo socium juvare nituntur. ... dimus cùm sus coram ipso virgis cæderetur & vociferaretur, ... pore adeò agitari sponte suâ, ut spumantibus dentibus frenderet, pedibusq; anterioribus terram continuè verreret & arenam spargeret. Hæc documenta Sympathiæ ac doloris dabat, & cum facultas suppetias amico ferendi non esset, voluntatem saltem declarabat externis indiciis. Quin imò, ut fermè communiter bruta sensibus nos superant, ... canicidæ, bos ad lanionis adspectum conturbatur vehementer, & ... fermè animam cum sangvine evomit. Boves quoq; in loco ubi boves antè mactati, anguntur horrore metuq; adeò, ut pabulum ne ... quidem & insomnes traducant omnes noctes. Hærent namq; ... effluvia aliorum boum in tractu illo, quæ ipsi persentiscunt ... Similiter vaccæ cùm ædes recenter denigratas prætereunt, subsistunt & extimescunt. Odorantur enim atomos sangvinis vaccini è parietibus egredientes, qui ad nigrorem adscitus fuerat antea, & hinc ...

du...

ducuntur erga sui simile. Ita apes apibus delectantur, & ignavum fucos pecus à præsepibus arcent. Acris hiems sit oportet, quâ lupus lupum devoret, Germanorum est Diverbium. Cervi societatem amant & gregatim tranant flumina, ubi dignior præcedit, & sequentes capita sua imponunt præcedentibus. Fessus primus ad postremum locum se recipit, & alius ipsi succenturiatur in ferundo onere. Mucianus apud Plinium l. 8. c. 50. refert solertiam caprarum visam sibi in ponte prætenui duabus obviis è diverso, cùm circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæcâ torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atq; ita alteram proculcatæ supergressam. Sic videmus pullos gallinarum, pullos anatum, pullos anserum congregari in unum, & amicâ frui similitudine. Et quod mireris, singuli suas matres nôrunt, & ex uno eodemq; genere ut sint, temerè tamen non confunduntur, sed primum consortium, cui semel à teneris adsveverunt, sectantur studiosè, & ab alio se disgregant. Quæ res propterea Plinio materiem dedit Hominem castigandi, qui solus in proprium genus sæviat, solus sibi ipsi infensus ac infestus sit. Verba exstant *Lib. VII. præf. Cætera animantia in suo genere probè degunt. Congregari videmus & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat. Serpentum morsus non petit Serpentes. Nec maris quidem belluæ ac pisces nisi in diversa genera sæviunt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala.* Nimirum de Brutis illud obtinet:

καὶ τέττιξ τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ.

In Hominibus autem istud regnat:

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Quapropter planè singularia sunt, quæ Scaliger excipit *Exerc. CCXL.* & aut necessitati, quæ ingens telum, aut iræ, quæ furor brevis, aut alii cuidam occultæ causæ assignanda. Ita scribit subtilis Doctor: *Habuit catellam Petrus Ictericus, Musicus excellentissimus, familiæ nostræ Cliens, quæ catulos suos devorabat omnes. At non vorabat pullos, qui cum eâ sub heri mensâ cibum capiebant. Leonem Leo discerpit. Serpens Serpentem fugat. Hoc anno domi Gallum Gallus occidit. Bononiæ cuniculi domestici clunes à rivali erosas scimus. Apud Aristotelem tractatur ea quæstio: An ullum animal a suo cognato devoretur. Sic enim probat, Cuculum non esse accipitrem, quia ab hoc ille devoretur. In uono tamen Cycnum à suo congenere*

nere devorari scribit. In Lucii ventre luciolus à coquo nostro inventus est. Itaq; est in veteri proverbio, a lucio Parentes proprios devorari. Idem asserit *Ex. CCI. Lucius etiam sui generis minusculos & persequitur & devorat. Integrum enim luciolum in lucij ventre vidimus nos.*

§. 3. Reducimus huc etiam statim ista Consensûs Exempla, quando animantium certa, aut naturæ ductu, aut diutino usu tam amicè degunt cum homine Domino suo, ut ei parasitentur ubiq; & famulentur. Canum blanditiæ & fidelitas ad rogum usq; cum stupore legitur in Historiis: quæ nobilissimæ ac suavissimæ peti possunt ex Scaligeri *Ex. CCII 6.* Lipsii *Cent. I. ad Belgas Epist. 44.* Jonstoni *Admir. Quadrupedum cap. XI.* Camerarii *Cent. 1. Horar. Subcis. c. 24. & Cent. 2. cap. 93. 94. 95.* Æliani *l. 1. V. H. c. 13.* & unde non? De Lycade Peripatetico Ælianus recenset *l. 7. De Animal. c. 36.* ipsum anserem habuisse, à quo mirificè diligebatur. Nam obambulante Domino semper sequebatur anser, cum ipso sedebat, post ambulationem quiescebat, & nunquam à Domino discedebat: unde Philosophus tanquam fratrem sepulturâ eum affecerit. Idem *lib. 13. cap. 46. V. H.* Draconis meminit, quem parvulum puer emerat, ac cum eo unà adoleverat. Dimissus deinde ob magnitudinem Draco in solitudinem à civibus, cùm adolescens ille aliquando in latrones incidisset, à Dracone vocem noti agnoscente liberatus est, hostium aliis interemtis, aliis in fugam versis. Leonis & Androcli Historia notior est, quàm ut hîc ambitiosus recenseatur: ubi Leo fuit hospes hominis, & homo medicus Leonis. Delphinos φιλανθρώπους esse maximè ex Arionis sive Fabula, sive Historia receptum est. Refert Ælianus *lib. 6. de Animal. cap. 19* de Scholastico quodam, quem amabat Delphinus adeò, ut cùm vocaretur ex mari, propiùs annataret, & pateretur puerum equitare super dorso. Imò tempus observabat Delphinus, cum ex Scholâ solent dimitti pueri, quia tunc propiùs ad littora veniebat. Cardanus ait *l. 10. De Subtilit. Delphini ingeniosissimi, & affectuum humanorum haut expertes, præcipuè misericordiæ.* Et ibidem: *Referunt rajam piscem homini sub aquis periclitanti auxiliari, ne vel submergatur, vel à belluis maris discerpatur.* Psittacus non tantum apud nos jam cicur redditus aut caveæ septis inclusus hominũ turbâ & conversatione gaudet, sed & in India, ubi ferus in silvis degit, tantopere humano contubernio delectatur, ut relictis silvis interdiu assiduè prope Americanorum domicilia agat, & ad loca hominibus frequentata & culta studiosè advolet sub noctem, *Aldrovandus L. XI.*

Orni-

Ornithol. cap. 1. p. 331. Franciscus Valletius I. Rex Gallorum adeò cicures reddidit ardeas, ut â pastu redeuntes licet natura feræ essent, ad ardearia sese reciperent, *Jonstonus Admirandis Avium cap.* [illegible] Aldrovandus *Lib. 1. de Cetis cap. 10. p. 278.* ait: *Vidi ego in hac urbe (Bononiâ) vitulum marinum sic à circumforaneo, à quo per totam peragrabatur Europam, institutum, ut ad nomen cujusvis Principis Christiani tam gaudio affectus nescio quid voce obstreperet, & contrà nominato vel Turca vel Hæretico aliquo planè obmutesceret, quomodo terrestres Canes etiam solent institui.* Busbequius scribit *Epist. 3. Legationis Turcicæ: Pleni sunt libri amorum, quibus feræ in homines inflammatæ fuerunt: in quibus quidem ego semper assensum sustinui, veritus ne fabulis temere crederem, donec vidi lyncem, quem habui ab Assyriâ, sic affectum erga unum de meis hominibus paucis diebus cognitum, ut amare negari non possit. Illo præsens aderat, multa & insignes blanditiæ amplexusq;, & tantum non osculatus; cùm vellet abire, injectis leviter in vestis laciniam unguibus retinebat, abeuntem vero oculis prosequebatur, nec eos ferè ab ea parte dimovebat, mæstus interim donec redeuntem adspiceret: hinc mira ejus* [illegible] *& gratulatio. Nec tulit diutius absentis desiderium: illo mecum in castris Turcicis transmarinis profecto lynx desiderium viri* [illegible] *ægritudine* [illegible] *tus post inediam aliquot dierum contabuit.*

§. 4. Nunc inter GRESSILIA Lupus ac ovis speciatim Dissensu suo mutuo in vulgus abierunt. Ovis quippe [illegible] quantum potest: Lupus autem ovi insidias & [illegible], & caulas ingressus plusquam tyrannicè unam ac omnes jugulat. Quia & ad mortem usque & post mortem eodem illud naturale [illegible] adverterunt aliqui. Tradunt enim fides lupinas & ovillas in Instrumentis Musicis juxtim tensas nunquam concordare, sed perpetuo dissidere sono ac tono: tympana item ovina [illegible] lupinis obmutescere ac disrumpi ad nudum sonitum. J. B. Porta scribit *L. 1. Magiæ c. 14. Lupi sic ovibus sunt exitio, ut odium post interitum servent: nam si lupinâ pelle tympanum accommodabis, inter cætera ex ovium pelle pulsatum audies, silentibus ceteris omnibus, & obmutescere ea faciet, ex ursi vel lupi corio confectum & pulsatum longè equos abigit & fugat. Et si ex omnibus eorum intestinis chordæ in lyra tendantur, obstrepent, nec temperamentum unquam efficient.* At falsum prius à posterioribus deprehensum est. Bodinus ait in *Theat. Nat. L. 2. p. 24*[illegible]*. Plerique putant, tam Magne-*

ris Adamantem prohibere, sed illud tàm falsum est, quàm Magnetem allii succo oblitum vim amittere, aut chordas illorum ex agno & lupo nullâ posse concordia conciliari, quæ tradita pro veris Experientia magistra rerum falsa esse comprobavit. De posteriori ita judicat Conradus Gesnerus, lupinam naturam duriorem & solidiorem, posse edere sonum in fidibus & tympanis clariorem, & diutius durare quàm teneriorem ovillam; sicut aquilæ, utpote avis ficcioris, penna posita juxta anseris, tanquam avis humidioris, pennam diutius duret, & cadavera hominum ficciora tardiùs putrescant, quàm pinguium & humidorum. Fidium hîc dum memini, haut ἀπροσδιονύσως adeò occurrit illud Sympathiæ genus, quod perhibent chordam unam habere cum alterâ æqualiter intensâ. Dicunt enim, duabus testudinibus æqualiter per omnia intensis, si in aliquam alterutrius chordam festuca imponatur, eam moveri ac decidere, quamprimum chorda alterius testudinis illa moveatur, quæ eundem cum hâc sonum habet. Fracastorius scribit *De Sympath. Cap. 1. Unisono in citharâ tacto moveri & aliud unisonum videmus, quod ne propè etiam fit, concusso vero tympano è corio lupi confecto dicuntur ea dissolvi tympana, quæ ex agnino corio sunt conflata.* Et *cap. XI.* ad varias aëris undationes & circulationes causam rei refert. B. Porta inquit *L. XX. c. 7. Tendantur in unum nervi, ut adidem & perfectum perveniat unusquisq; melos, si gravium unam pulsabis digitis, altera reboat & movetur gravis in ea, sic acutarum, adhibitâ tamen approximatione, quod maxime non fuerit conspicuum, paleam suprà imposito, & moveri videbis.* Videatur & Scaliger *Ex. CCCI. 4. De lancea qua lyram tangat*; & *Ex. CCCXLIV. 2. De duabus fidiculis æquè tensis.* Verùm hanc rem cùm ego persæpè ex præstantissimis Musicis exquisivi, nihil super eâ certi affirmare mihi habuerunt. Et ubi experimentum negocii facere præscripto suprà modo tentavi, nihil minus habebam, quàm quod avebam. Movebatur, fateor, festuca aut papyrus super chely, & decidebat etiam: at non minùs in unâ chordâ, quàm in alterâ, nec minus ad istum sonum, quàm ad alium, propter motitationem aeris videlicet, qui vehementi fidium impulsu ita agitabatur, ut manu sentiri posset. Ita forsan, quod semel quâcumque ex causa aliâ contigit, deinceps in sequelam certam traductum est.

§. 5. At non egent mendaciis verba Dei, nec opera Dei. Satis superque aliunde elucescit naturalis veritas. Elefas & Rhinoceros perni-

miciales invicem exercent inimicitias, Elefante injecto ad collum proboscide Rhinocerotem ocyssimè strangulante, & Rhinocerote cornu suo osseo carnem Elefantis molliorem super naribus transfodiente. Confer Scalig. *Ex. CCV.* Camerarius *Horar. Subcis. Cent. 1. c. 25.* ex Jovio refert, Rhinocerotem quendam, cùm Ulixponensi in portu exponeretur, adspectu atq; ore suo Elefantum, qui tùm erat in Regia Emanuelis Regis Portugalliæ, adeò truculenter terruisse, ut Elefas concepto incredibili pavore septum caveæ ferreum ingentibus clathris permunitum, humerorum & capitis præcipiti impulsu perruperit, & in longam se proripiens fugam terribiliq; barritu edito stridens & furens cuncta obvia prostraverit. Quod idem Dn. D. Frantzius repetit *Hist. Animal. part. 1. cap XI.* Idem Elefas Draconem insignem hostem experitur. Dracones enim ferventissima animalia, cùm nôrint sanguinem Elefantis esse frigidissimum, in æstu cumprimis illum avidissimè expetunt, & cruribus illaqueatis Elefantos impediunt ac implicant, ipsi sæpè aut ruinâ Elefantorum oppressi, aut inebriati sanguine nimio disrumpentes. Idem murem extremè odit ac extimescit. Causam Keckermannus venatur *Curs. Philos. Disp. XVIII. Probl. 4.* quærens: *Cur Elefanti maxime fugiant murem, ut paruli, si à mure in præsepi tactum sit, fastidium capiant, vel prorsus abstineant? R. mus est fœtidi mucidiq; odoris, dum in parietum foraminibus & cavernis terræ delitescit. Elefas est animal exquisitissimi odoratus quod maxime recreatur fragrantiâ: promuscis longa foramina habet angusta, ita ut spiritus odoriferus diu in ipsis hæreat, nec facile dissipetur, quemadmodum in reliquis animalibus, quibus nasus brevior & nares latiores.* Idem grunnitum porcorum ferre nequit. Constat id ex rebus gestis Megarensium, qui cùm Antipater immensum numerum Elefantorum armatis militibus instructissimû contra ipsos eduxisset, magnum numerum porcorum Elefantis opposuere, quorum grunnitu victores evasere. Hinc Scaliger *Ex. CXCIV. 6. Nihil alioquin Elefanti [illegible], quàm sus. Eius enim stridore solo quod facere tela nequeunt, in fugam vertitur.* Et Exerc. *CCLX[illegible]II. Cujusmodi mali quæ tanti est stridore suis vertatur in fugam? quorsum tantus ille furor qui tam pusillo momento extinguitur, atque etiam in Dominos acuitur?* Idem fertur conspecto ariete vehementer pertimescere, & solutus quantumlibet in ferociam, statim mitescere. Porta sic *Lib. 1. c. 7. Elefas arietem timet, dum enim feritate effertur,*

quatuor terræ minima, & ipsa sapientiora sapientibus: formica populus non fortis, & præparans æstate panẽ suum: cuniculi populus non robustus, & ponens in petrâ domũ suam; Rex non est locustæ, & egreditur adunam omnis ipsa. Aranea in manibus capiet, & est in ædibus Regis, Proverb. XXX. 24. seqq. Juxta hanc vitulus calce petit nondum firmis ungulis, capra cornu ferire tentat, quod nondum prodiit, catellus mordere conatur, cui dentes adhuc teneri, pullus gallinaceus volatum meditatur, alis destitutus, pullus anatis aut anseris ad aquam procurrit, quam nonquam vidit. De hâc Plinius *l. 8. c. 25. Memorabile est, quod animalia bruta sciant non sua modo commoda, verùm hostium adversa, nôrunt sua tela, nôrunt occasione partesq; dissidentium imbelles.* Et idem Scaliger Ex. CCCXXXIX. 1. *Ante cornua edita vitulus impetit nudâ fronte. Non igitur didicit his uti, quæ nondum habet?* Et Seneca svavissimè *Epist. 122. Quid est, quare pavonem, quare anserem Gallina non refugiat, cùm tanto minorem & ne notum quidem accipitrem fugiat, quare pulli felem, antequam possint experiri, cavent. Deinde ne hoc casu existimes fieri, nec metuunt alia quam debent, nec unquam obliviscuntur.*

§. 7. Leones simiam oderunt, quippe subdolam & versutissimam, cùm illi ab omnibus dolis sint alienissimi, generosâ suâ fortitudine freti. Simia non veretur Leonem per summam lasciviam petulantiamq; agitare, affixa natibus illius. Et illa *ἀντιπάθεια*, dicente Dn. Frantzio part. 1. H. A. c. 24. eò usque se extendit, ut leo laborans febre vel alio morbo curetur non nisi carnibus simiarum. Ælianus *l. 1. V. H. c. 9. Ægrotanti Leoni nulla potest alia medicina adhiberi, quam ut comedat simiam, id ei remedium exsistit.* Simiam supra modum horrere testudinem, suis oculis conspexit Erasmus. *Quidam Romæ puero suo in verticem imposuit testudinem, & pileo contexit, dein producit ad simium. Illico simius gaudens insiliit in humeros pueri venaturus pediculos, sublato pileo reperit testudinem. Mirum erat spectaculum, quanto cum horrore resilierit bestia, quàm expaverit, quam timidè respexerit, an sequeretur testudo. Additum est aliud specimen, alligavimus testudinem catena, à quâ revinctus erat simius, ut effugere non posset, quin saltem adspiceret: incredibile dictu quantoperè fuerit discruciatus: tantum non metu exanimabatur, interdum aversus posterioribus pedibus depellere tentavit hærentem bestiam. Tandem quidquid erat in alvo aut vesicâ oneris rejecit.*

Secuta est ex pavore febris, ut nobis fuerit solvendus à catenâ, & aquâ vino temperatâ refocillandus: Colloquio, quod inscribitur AMICITIA, in quo arcanas hasce rerum naturalium amicitias & inimicitias haut levi brachio tractat. De Equorum & Luporum mirâ *ἀντιπάθεια* exstat integrum Caput 23. Cent. 1. apud Camerarium. Equam nempè ferunt, non solùm si lupum calcârit, abortum facere, sed etiam si lupi calcârit vestigium, eam protinùs abortire. Ob quam rem Ægyptii in suis Hieroglyphicis Equâ quæ lupum conculcabat, mulierem abortientem designabant. Et Pierius tradit Hieroglyph. Lib. XI. callidos quosdam homines, qui omnivolam Principum cupiditatem elusuri cum equum insigniorem ipsis postulantibus honestè denegare non possent, lupinum intestinum in viâ clanculùm abscondisse, quà producendus erat equus in conspectum Principis, & equum intestini odore concepto statim loco constitisse, nec ullis stimulis impelli potuisse, ac sic rediisse ad dominum, quod fuit antè, suum.

§. 8. Cornu Monocerotis minerale præsentissimam ferre contra venena antidotum, Disputatione quartâ dictum fuit. Eandem vim animale obtinet. Andreas Baccius tr. de unicornu dicit, id etiam in digitis gestatum præservare contra venenum. Imo aqua, etiamsi veneno quodam corrupta, si hoc cornu attingatur, salutaris dicitur fieri. Et olim divites ac magnates ex eo pocula conficiebant, quò à venenis tutos se facerent. Conferatur Anshelmus Boetius *De Lapid. & Gemmis l. 2. c. 244.* & Keckermannus *Disput. XVIII. Cursus Philos. extremâ.* Bartholomæus Alvianus teste Jovio in Emblem. Claror. viror. pingebat unicornē cornu suum in rivulū quendā aquarum immergentem cum verbis, VENENA PELLO. Precium veri hujus cornu planè regium est. Attulere Romam Mercatores Germani venale unum precio nonaginta millium coronatorum. Julius III. Pharmacopæum erexit in Vaticano, in quo inter cætera preciosissima medicamenta etiam fragmentum unicornu duodecim millibus aureorum à Mercatoribus Epidauricis mercatus est. Cardinalis Tridentinus truncum Unicornu possedit, cujus periculum Aldrovandus fecit in duabus columbis, quibus cum arsenicum propinasset, illa cui mox rasuram cornu [illegible] exhibuerat, supervixit, cum altera duarum tantum horarum spacio extingueretur, *De Quadrupedibus Lib. 1. cap. 5. p. 135.* Idem Venetum quendam Judæum fuisse scribit, qui legitimi possessi-

fessionem cùm jactavit, miro probavit exemplo. Nam circumscripto in mensa cornu spacio, scorpionem & araneum immisit. Transire restantes bestiæ terminum cùm non potuissent, umbrâ an virtute? enecatæ sunt, apud Jonstonum *Admir. Quadruped. c. 43.* Rasura cornu alcini magnâ facultate pollet contra morbum Epilepticum, ac inprimis ungulis pedum hujus animalis ea vis divinitùs est insita, unde magno precio emuntur, & auro ac argento inclusæ de collo infantium suspendantur. Agyrtæ pro iis vendunt ungulas boum: sed facilis est discretio, quia ungulæ boum rasæ fœtent, Frantzius *part. 1. c. 17.* Et sinistro cumprimis maximè ungui ea virtus adscribitur: quia creditum est, Alcen illum inprimis auri applicare, quoties in Epilepsiam prolabitur, sicque liberari. Corripitur enim Alce sæpenumero comitiali morbo, & ex parvo vulnere moritur, ob id Germanis das Elend dicitur. Sed & de nervis animalis hujus testatur Apollonius Meccabenus Mediolanensis, Regius in Sveciâ Medicus, *cap. 5. Lib. de Alce*, apud Keckermannum *Curs. Philos. disp. 18. probl. 15.* se in Sveciâ quosdam novisse, qui cùm sæpè acuto quodam genere convulsionis & spasmi corriperentur, cingulo facto ex alcinis nervis membra illa nuda spasmo obnoxia cinxisse ac ligâsse, atq; inde nonnullos maximum levamen sensisse, alios etiam planè à morbo liberatos. Keckermannus quidem eo loci dicit *virtutem istam in cornu & ungulis alcis oriri à calore vehementiori implantato in materiam valde terrestrem & siccam, quæ idcircò vim quandam resolvendi à calore & simul vim adstrictoriam ab illâ ut sic dicam, terrestreitate obtinet, unde nempe fit, ut materia Epileptica, quæ frigida est, resolvatur & discutiatur & cor ac cerebrum, spiritusq; adeo vitales & animales vegetentur ac corroborentur, præsertim cùm rasura istorum unguiũ epilepticis exhibeatur cum aqua liliorũ convalliũ & lavendulæ, item cum radice Pæoniæ & succo candidissimo.* At tutior Meccabeni sententia, qui *cap. 11. L. de Alce* statuit, ungues Alcis agere in corpora Epilepticorum non Qualitatibus primis nec secundis, sed totâ substantiâ, quam proprietatem occultam seu formam specificam appellant.

§. 9. Ac ut Monoceros contra venenum est, ita venena vicissim cõtra bruta, & quidẽ peculiaria cõtra peculiaria. *Ne putes velim*, dicit Portal. *15. c. 19. venenũ unũ animalia cũcta interficere posse sed unũquodq; suũ venenũ habere, imò quod uni venenũ, alteri salutare, quod nec qualitatũ ra*

tione evenit, sed peculiaris naturæ. Qui ibidem Exemplis hoc declarat amplius. Chamæleontẽ namque albũ cũ polentâ subactũ canes, sues & mures occidere; nucem vomicam recentem, quam ab effectu caninam dicunt, si limâ teratur, & ejus tenuis elimata scobs carne vel butyro deglutienda cani detur, trium horarum spacio eos necare, ut solùm videatur ad canum mortem à Naturâ producta; proximè Nilum herbam lycoctonum esse, quam lupus calcans convulsionibus moriatur; columbas perire devoratis fabis madefactis in aquâ, in quâ elleborus albus maceratus fuerit. Huc Scaligeri ista quadrant *Ex.* CCXVII. 12. *Vulpes accepimus amaris amygdalis esitatis interire. Nos vulpeculam aloë cum carnibus devorata vidimus extinctam.* Et omninò ita est, *quod uni venenum, alteri salutare est*, ut ajebat Porta. Ciconiæ serpentes devorant, gallinæ araneas, quæ exitio sunt aliis. Cicuta hominem & anseres largiùs sumta necat, eadem sturnis ac pecori bubulo pabulum est gratissimum. Ferula quæ occidit equos, asinorum deliciæ est. Taxi & fraxini frondes interimunt jumenta, quæ non ruminant, ruminantibus conducunt. Rhododendri folia quæ bestias necant, præsidio sunt adversus serpentes. Ciconia consectatur platani folia, quæ vespertilionibus inimica. Vespertiliones enim struunt insidias ovis ciconiarum, & eadem solo suo tactu reddere possunt sterilia; verùm ciconiæ deportare solent folia platani in nidos, quibus arceantur vespertiliones, ut nihil mali possint inferre ovis. *Nam inter platanum & vespertilionem alia est ἀντιπάθεια, ita ut cum vespertilio solummodò tangit platani folium, torpida reddatur*, ait Franzius *part. 2. cap. 8.* Idem *part. 1. c. 26. Salamandra à porcis sine omni detrimento devoratur.* Fame citius perit vultur, quàm attingat triticum, & anser quàm lauri folia. Majorana cephalicum homini medicamentum sues in rabiem agit. Plura vide apud Bodinum *Theat. l. 3. p. 293.*

§. 10. Inter VOLATILIA Grus pugnat cum Aquilâ adeò acriter, ut sæpius ambæ implexæ deferantur in terram, & vivæ a pastoribus capiantur, Arist. *l. 9. Hist. c. 12.* Hinc ubi ex Ciliciâ devolant, & Tauro monti appropinquant, qui plurimas aquilas alit, lapillis in ora receptis sibimetipsis imperant silentium, ne prodantur hostibus: advolante autem aquilâ ordinem suum, quem alioqui trianguli ad modum servant, confundunt, & statim in orbem sese quasi in aciem

con-

contrahunt & conglomerant. Ejusdem Aquilæ cum Dracone naturalis pugna est, quam Dn. Frantzius tangit *part. 2. c. 2. n. 15.* Ovidius ita *L. IV. Metamorph.*

Utque Jovis prapes, vacuo cùm vidit in arvo
Prabentem Phœbo liventia terga Draconem,
Occupat adversum, neu sæva retorqueat ora,
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues.

Ubi Hercules Ciofanus in Observationibus p. 64. *Ex hâc comparatione intelligi licet, inter Aquilam & Draconem sive Serpentem naturale dissidium esse: quam rem sic literis consignavit gravissimus autor Sophocles in Antigone:* κρὶ σπάδων μα πύργων πευκάενθ' ἥφαιστον ἑλεῖν. τοῖος ἀμφὶ νῶτ' ἐτάθη πάταγος Ἄρεος ἀντιπάλῳ, δυσχείρωμα δράκοντι. *Olores Aquilam, si pugnam cœperit, repugnantes vincunt, ipsi autem nunquam nisi provocati inferunt pugnam*, Arist. *9. Hist an. c. 12 & c. 11. Trochilus vocatur Senator & Rex, quam ob rem aquilam cum eo pugnare referunt.* Hoc Plinius transcripsit *l. 10. c. 74.* inquiens: *Aquila & Trochilus, si credimus, dissident, quoniam Rex appellatur avium.* Idem *c. 17.* ait: *Noctuarum contra aves solers dimicatio. Majore circumdatæ multitudine resupinæ pedibus repugnant, collectæque in arctum rostro & unguibus totæ teguntur.* Cicero dicit *l. 1. de Nat. Deor. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvis.* Causam dat Aristoteles *9. Hist. c. 1. Corvum milvus impugnat, eripit enim milvus a corvo quidquid tenet, ut qui & unguibus sit præstantior & volatu, ita fit, ut eos quoque victus ratio faciat inimicos.* Invertit eam Plinius *l. 10. c. 74. Dissident olores & aquilæ, similiter corvus & milvus, illo præripiente huic cibos.* Columbæ & milvi discordiam Horatius docte exprimit *Epod. Od. XVI. Novaque monstra junxerit libidine Mirus amor, juvet ut tigres subsidere cervis, Adulteretur & columba milvo.* Concordiam contra Psittaci & Turturis hoc Disticho Ovidius *Epist. Sapphus*:

Et variis albæ junguntur sæpe columbæ:
Et niger a viridi turture amatur avis.

Et *l. 2. Amor. Eleg. 6 Psittacus Eois imitatrix ales ab Indis*
Occidit, exequias ite frequenter aves.
Omnes quæ liquido celebratis in aere cursus,
Tu tamen ante alias turtur amice dole.
Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Oresti,
Hoc tibi dum licuit, Psittace, turtur erat.

 Ita

Ita insigne amicitiæ Exemplum corvi porcis libenter insidentes exhibent. [illegible] tradit *l. 1. c. 7 Accipiter Columbaceo generi hostis infensus est, hoc tuetur tinnunculus, cujus aspectum vocemq; formidat accipiter nec eas hoc latet, quod ubicunq; resider tinnunculus, protectoris fiduciâ, è loco non facessunt. Hinc Columella ad expellendos accipitres è columbario eum commendat.* Et *cap. 14. Adversantur sibi florus & agithus, & tàm est eorum pertinax odium, ut mortuorum sanguis simul commisceri non posse dicatur. Amant columbæ tinnunculum, & in columbariis repositus mortuus amorem loci conciliat, ut post mortem amicum ament.* Ita & Jonstonus Admir. Av. Cap. 33. Habent ea citra dubium ex Aristotele *l. 9. Hist. c. 11.* ubi plerasque istiusmodi antipathias Brutorum una cum causis suis exhibet: aut ex Plinio, qui ita *l. 10. c. 37. Tinnunculus defendit columbas terretq; accipitres naturali potentiâ in tantum, ut visum vocemq; ejus fugiant. Hac de causâ præcipuus columbis amor eorum, feruntq; si in quatuor angulis defodiantur in ollis novis oblitis, non mutare sedem columbas.* Avis lacustris, Drepanis dicta, si vel tintinnabula tantùm Falconis subaudierit, tanto terrore afficitur, ut omninò malit crebris fustibus lapidibusq; ab hominibus obrui, quàm volatu se in aera, ubi hostem esse percepit, attollere, Aldrovandus *Ornithol. L. 6. p. 224.* Jonstonus *Admir. Avium cap. 15.* In Æliani varia historiâ *l. 13. c. 31.* legimus, passerculum ab accipitre vehementiùs impetitum in Xenocratis sinum devolâsse, & in eo tuendi sui causâ hæsisse, quasi non esset ignarus, accipitrem conspecto homine regressurum. Cornix meridie ova noctuæ surripiens absumit, cùm non clare interdiu noctua videat, noctua verò ova cornicis noctu exedit, estque altera interdiu, altera noctu potentior, Aristoteles *9. Hist. c. 1.*

§. 11. Sympathiam aliquam Galli cum Sole nonnulli inde arcessunt, quod ortivum, occiduam & meridianum voce admodum vocali & alarum applausu salutet ac resalutet. Plinius *l. 10. c. 21. Proxime gloriam sentiunt & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoq; somno natura genuit. Norunt sidera & suas distinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartâq; castrensi vigiliâ ad curas laboremque revocant. Nec Solis ortum incautis finunt obrepere, diemq; venientem nunciant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum.* Aldrovandus hanc Solare animal Gallum vocat *Ornithol. l. 14. c. 1. p. 115.*

p. 115. Certum quidem istud est, Gallum adventum auroræ prænunciare, de cætero tamen temerè plerumq; cantat, aut ob causas alias: sive quod libidine turgens fœminam ad venerem vocat, sive quod post venerem exinanitum se gaudet animal semine plenissimum, sive quod exemplo ac æmulatione aliorum id facit, sive quod & tempestatis mutationes jam tùm præsentiscit: Scaliger dicit *Ex.* CCXXXIX. *Gallina desiderio non canere* (gallum) *manifestum est, quoniam canit à coitu. Deinde præsente illa quam tunc non init. Canit satur, canit sive metu. Canit vero non statis horis, ut nugantur, sed temerè. Gallinæ vero desiderio non canit noctu, qui eas confertas secum habet: jacentes habet: immotas habet: insiliat, si lubet, licet.* De Galli & Leonis Antipathia circumfertur in vulgus, Leonem Gallo viso anteaudito vehementer exhorrescere, adeoque cristam (nam caput non timere) & cantum ejus nimium quantum refugere. Vid. Plin. *l. 8. c. 16 & l. 10. c. 21.* Keckerm. *Disput. 18. Curs. Philos.* Lucretius ad atomos causam refert his versibus *l. IV. de Nat. rer. v. 711. seqq.*

Quin etiam Gallum nocte explodentibus alis
Auroram clara consuetum voce vocare,
Quem nequeunt contra rabidi constare Leones,
Inq; tueri: ita continuo meminere fugai.
Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cum sint oculis immissa Leonum,
Pupillas interfodiunt acremq; dolorem
Præbent, ut contra nequeat durare feroces,
Cum tamen hæc nostras acies nil lædere possint.

Nos rem ipsam quidem facilè damus, modum saltem paulò aliter explicandum judicamus. Ad fortitudinem potiùs, quàm ad timiditatem causam reducimus. Docuit enim Experientia Camerarium, Leonem non modò non horruisse, sed invasisse gallos. Ita ille *Hor. Subc. Cent. 1. cap. 22. Compertum est non ita pridem in aulâ Principis cujusdam Germaniæ, Leonem septa sua transiisse, & forte fortunâ in locum irruisse, ubi aliquot cortes gallorum, gallinarum, aliarumq; altilium avium in usum aulæ saginarentur, eumq; ius conspectu non solum nullo modo deterritum, sed plurimas ex iis devorasse.* Generosa bestia Leo est, ideoque faciles motus capit. Spiritus habet vehementiores & fervidiorem sanguinem. Agitatur hic & concitatur insigniter ad ru-

bram galli cristam & acutiorem cantum, tanquam sensile excellens. *Ruber color movet spiritus, qui vehuntur in rubro sanguine animalis. Agitatus autē sanguis ipsum etiā corpus commovet, simile, enim movet simile,* dicit DN. Frantzius in alio casu *part. 1. c. 4. extr. H. A.* Idq; eò magis, si junior fuerit. Tum enim spiritus calidiores animos viresq; magis ac magis exacuunt. Non secùs ac in juvenibus usu venit, quos levi de causa concitari ad iram videmus & irritari, præsertim cholericos: ubi contrà defecti ætate senes mites ac pacati nullas fermè ad animum revocant injurias, ob sanguinem frigidiorem. Idem in gallopavonibus ac Gallinis Indicis observare licet, quibus si accesseris rubrâ veste amictus, aut sibilis & acutiori sono incitaveris, furentes tantum non & mirum in modum tumultuantes reddas. Ita Elefantes efferari vino rubro & mororum sanguine, testatur autor Libri prioris Maccabæorum *Cap. VI. 34.* Bubali item irritantur valdè rubro colore, quorum in Italia cumprimis prope Neapolim insignis copia. Hinc qui planiciem, ubi olim stetit Arpinum Patria Ciceronis, in quâ gregatim illi pascuntur, & in paludibus atque lacunis volutantur, transeunt, à ductoribus fideliter admonentur, ut qui rubras vestes, vel ejusdem coloris aliquid gerunt, id si tuti esse velint à bestiis, studiosè abscondant, referente Camerario *Centur. 1. cap. 25.* Pertinet horsum *§. Interdum I. De oblig. quæ ex delicto nasc.* ubi Imperator furti teneri dicit juxta veteres, qui panno rubro fugaverit armentum. Præclarè itaque DN. SPERLING. *Exerc. 1. ad Scaligerum: Concedamus bonâ fide scripsisse Autores, & etiam ad præstationem. Leonem galli cantu & adspectu, imò flammis quoque metuere, non negârim: at sine pavore, sine fortitudinis jactura. Causa est fervidior sanguis. Agitatur & incitatur hic rubicundâ galli gallinacei cristâ, sonora voce & rutilantibus flammis. Quod & in gallopavone cernimus, quem rubræ vestes, quem soni acutiores irritant vehementer.*

§. 12. Ex REPTILIBUS [illegible] Serpentis & araneæ, item araneæ & bufonis primò occurrunt. De priori Plinius *l. 10. c. 74. Librat araneus se filo in caput serpentis porrecti sub umbrâ arboris se sustinentis, tantâq; vi morsu cerebrum apprehendit, ut stridens subinde ac vertigine rotatus ne filum quidem desuper pendentis rumpere, adeò non fugere queat, nec finis ante mortem est. Rursus amici pavones & columbæ, turtures & psittaci, merulæ & turdi, cornix & ardeola.* De posteriori

Sca-

Erasmus *Colloq. Amicitia: Monachus quidam fasciculos aliquos scirporum in cubiculum congesserat, sparsurus cum esset commodum. Is cum à prandio supinus dormiret, bufo ingens erepsit, & os dormientis obsedit, infixus superno atq; infero labro quatuor pedibus. Detrahere bufonem certa mors erat, non amoveri quiddam erat morte crudelius. Quidam suaserant, ut Monachus ad fenestram deferretur supinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum est; mox araneus hoste conspecto filo se librat, bufoni aculeum infigit, ac filo se recipit in telam. Intumuit bufo, sed non est avulsus. Repetitus ab araneo, magis intumuit, sed vixit. Tertio ictus abduxit pedes ac mortuus decidit. Hanc gratiam aranea retulit hospiti suo.* Quod etsi ibi *Fabulam Britannicam* vocat, adducit tamen pro vero Dn. Franzius *part. 1 c. 27.* & Experientiam quotidianam urget Laurembergius *Acerra Cent. 3. Hist. 78.* Admirabilis videlicet Benigni Numinis Providentia de nobis est, ut & venenorum venena sint, & pœna peccati sæpè vertatur nobis in beneficium. Non sineret bonus ille fieri malum, nisi de malo posset agere benè. Communis est dimicatio cervorum cum serpentibus. Serpens viso cervo, in cavernam se condit, cervus narium spiritu extrahit hostem, proculcat, lacerat, devorat. Accenditur hinc ex veneno percepto maximoperè, & quia non sentit interitum sibi præsentissimum ardore, si ante concoctionem ipsius aquam hauserit, sitim tamdiu patienter tolerat, ac deinde ad fontes properat. Unde huc trahi solet illud Psalmi XLII. Quemadmodum cervus glocitat ad fontes aquarum. Ac ea quidem inimicitia etiam post mortem durat. Nam accenso cornu cervino, item pelle ac adipe cervi serpentes fugantur ex domibus. Consulatur Plinius *l. 28. c. 9. quasi certe.* Porta *l. 1 Mag. cap. 7.* Frantz. *part. 1 H. A. c. 15 & part. 4. c. 1* ubi adjicit, fugari Serpentes etiam substratis caulibus crispis, calaminthâ humidâ, polio montano, buglosso silvestri, origano seu majoranâ silvestri, abrotano, pulicaria: salivam item hominis, præsertim jejuni, in serpentis os conjectam necare ipsum. Serpentibus etiam testudines adversantur, quæ origano solent uti contra eos viperasq;. Mustela quoque prius sese perlinire & munire rutâ perhibetur, posteaq; intrepidè aggredi & interficere etiam magnum serpentem. Non secus ac corvus ante pugnam & post pugnam cum chamaleonte fronde lauri contra venena vescitur, & Aquila geminam Ætiten in nidum re-

ponit, quâ fœtûs suos præservet contra necem. Iidem Serpentes Equis infesti sunt, quod testatur Silius Italicus *lib. 6.*

Attonitus serpentis equus ferroq; teneri
Impatiens crebras exspirat naribus ignes.

Et Jacobus Patriarcha id insinuat *Gen. XLIX. 17. Fiat Dan coluber in viâ: cerastes in semitâ, mordens ungulas ejus, ut cadat adscensor ejus retro.* De Lusciniæ ac Serpentis antipathiâ dubitanter scribit Cardanus *De variet. rer. l. 7. c. 36.*

§. 13. In NATATILIBUS non minùs miracula Creatoris obvia. De Sympathiâ & Antipathiâ Piscium agit Aristoteles *l. 9. Hist. c. 2.* Amicitiæ Exemplum inter balænam & musculum Plinius prædicat l. 9. c. *62.* cum hic prægravi superciliorum pondere obrutis balænæ oculis infestantia magnitudinem vada prænatans demonstret, oculorumque vice fungatur. Quod & Claudianus adscrit *in Eutrop. l. 2. v. 425.*

Sic ruit in rupes amisso pisce sodali,
Immensumq; pecus parvæ moderamine caudæ
Bellua sulcandas qui pravius edocet undas
Temperat, & tanto conjungit fœdera monstro.

Ita Delphini non hominibus tantum, sed & sibi ipsis amici sunt. Egresso uno in littora & periclitante de capturâ, subitò cæteri ore tantum aquæ affundunt super captum, donec ea vehementer increscens piscem mari restituat. Aristoteles dicit *l. 9. Hist. c. 48. Fertur Delphino apud Cariam capto atq; saucio ingentem reliquorum multitudinem convenisse ad portum, immoratamq; donec piscator dimiserit eum, quem ceperat, tum omnes simul recepto captivo rediisse. Jam conspectus est delphinorum grex majorum & minorum promiscuus, post quem duo quidam paulo post viderentur delphinulum defunctum labentem in imum subire & in summa pelagi dorso evehere, quasi miserantes, ne ab aliqua bellua devoraretur.* v. & Frantz *part. 4. c. 3. p. m. 619.* Itaque Crocodili (qui est *animal lacertæ simillimum, sed dentes habet a cranio exterius prominentes magnos*, describente Cardano *l. 9. Subtil.*) hostis Ichnevmon, lutra quadam Indica prædicatur, quæ limo corpus oblita hiantis in littore Nili Crocodili in ventrem illabitur, intestina erodit, ac interfectâ belluâ incolumis ex eâ egreditur. Amicus contra Trochilus Rex avium in Italiâ vocatus, qui dentes

dentes faucesque ejus ad hanc scabendi dulcedinem quàm maximè hiantes repurgat, & dormientem excitat, naresque pungit, ubi periculum ab Ichneumone imminet. V. Plinium *l. 8. cap. 24. & 25.* Scaliger habet *Ex. CXCI l. 5. Non est fabula de avicula, quam Trochilum Græci nominarunt.* Cancri carnem ostrearum teneram mirè appetunt, sed ob indumentum testaceum chelis suis nil proficiunt. Quocirca à vi ad fraudes versi, ostreum explorant, si quando in locis vento minus expositis plicas suas ad radios Solis aperit, & clanculum injecto derepente calculo, ne testas claudere vicissim possit, apertas carnes reperiunt & viscera omnia depascuntur, uti ex Ambrosio & Isidoro Aldrovandus recitat *L. 3. De Testaceis cap. 61.* Haleces cum boni succi sint, ceti & alii grandiores pisces ipsis insidiantur nimiopere. Noctu lucent in aquâ ventribus versus summum æquor obversis, & squamis maximè quæ circa oculos sunt, tantum de se splendorem emittentibus, ut mare fulgurare videatur. Atque hinc facilè, cum ad littora ob hostes confugiunt, aut ad lumen super aqua visum gregatim adnatant, à piscatoribus capiuntur, tanto sæpe numero, ut funes retium incidi oporteat, quod trahi non possint. Murænæ & Polypi, Murænæ & locustæ, & iterum Polypi ac locustæ memorabiles pugnas ex Æliani l. 1. c. 32. & Oppiani Halieutic. 2. adducit idem Aldrovandus *L. 3. De Piscibus cap. 27 p. 140.*

§. 14. Torpedo piscis narcoticus est, & occultâ quâdam stupefaciendi qualitate tum pisces, tum homines ipsos corripit. Aristoteles *l. 9. c. 37. Torpedo pisces quos appetit, eâ ipsa quam in suo corpore continet facultate torpendi, atque ita redditos præ stupore capit & vescitur. Abdit se in arena & limo, tum pisces qui adnatantes obtorpuerint, corripit, quam rem plerique conspectam à se retulerunt.* Alex. Aphrodisæus *in Præfat. l. 1. Problem. Nemo ignorat torpedinem marinam per funiculum corpori stuporem inducere, cui tragula contristata contrariam reddit.* Plinius *l. 32. c. 1. Torpedo etiam procul & è longinquo vel si hastâ virgave attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes proditur.* Scaliger *Ex. CCXVIII 8. A torpedine stupor impingitur manibus, etiamsi non tangatur, etiam per lineam subiens, neque enim fabulæ sunt.* Confer latiùs Aldrovandum *L. 3. De Piscibus c. 45.* De Echeneide seu Remorâ pisciculo

culo Plinius egregia habet l. c. & aliqua Exempla ex Historiis subnectit. Vid. & Plutarchus *L. 2. Symp. Probl. 7.* Quæ si ita habent, vicissim ad latentem Naturam, non patentem recurrendum est. Fracastorius *De Symp. Cap. 8.* non ab Echeneide pisce navim cohiberi arbitratur, sed Echeneidem tantum esse signum scopuli alicujus, qui subsit aquis, forsan ex lapide herculeo, quiq; navem retinere valeat, clavos evellere nequeat, item Echeneidem ita navi adhærescere, ut avelli nequeat, propter vacuum. Sed respondet ipsi Scaliger *Ex. CCXVIII. 8. Majore robore opus est ad navim retinendam, quàm ad extrahendum clavum. Hoc sane faber unus fecerit, illud multi* [illegible] *frustra.* Item: *Quid* [illegible] *possit, amotâ exiguâ* [illegible], *nescio.* Nec tacendus nobis sub finem Xiphias seu Gladius piscis est, à rostro prælongo, & acutissimo mucrone ita dictus, qui ad sesquipalmum sæpe naves perforat, & in retia cum incidit, plus damni, quàm lucri affert, retia omnia lacerans. Plinius ait *l. 32. c. 2. Trebius Niger autor est, Xiphiam, id est gladium rostro mucronato esse, ab hoc naves perfossas mergi in Oceano.* Hujus exuvias attulere superiori mense quidam nuc [illegible], ubi captum dicebant, & quæstus faciendi causâ circumtulere. Narrabant, singularem ejus antipathiam cum balænâ esse, cui gladio suo ventrem [illegible] medium. Quod tamen nondum apud [illegible]. Hoc [illegible] tradunt, ipsum valde [illegible] con-versum gladium [illegible] quemcunque vadi locum [illegible] ita capite infixo se continere, tum balænam, quæ truncum [illegible] quidpiam esse recens, negligentem præternatare. Aldrov. *D. Pisc.* [illegible] *c. 2.* Tam mirabilia Jehova [illegible] Naturæ Deique opera [illegible], ut nulla acies humana [illegible]. *O* [illegible] *omnia in sapientia fecisti* [illegible] *magnitudinem* [illegible] *Leviathan formasti ad ludendum in eo,* [illegible] *CIV.* [illegible] *CCC* [illegible] *cum alia* [illegible] *quæ* [illegible]

CAPUT QVINTUM
DE CONSENSU ET DISSENSU HOMINIS.

Resp. ESAIAS Auforge / Vratislav.

TRansfretavimus hactenus ingentia Almæ Parentis Naturæ freta, divino ferente vento remigioq;. Præternavigavimus Scyllam non unam, & impetuosa tortuosis anfractibus spacia. Perrupimus tamen, & Scientiæ ac veritatis potiundæ gratiâ, tanquam aurei velleris, devoravimus omnes molestias. Nunc terram videmus & optatâ jamjam potimur arenâ hilares. Homo enim adhuc nobis unicè restat ceu Thule ultima in hoc spacioso æquore. Ille Naturæ Deliciæ considerandus nobis post cætera est, cui splendet omnis siderum exercitus, cui Elementa serviunt, cui mineralia generantur, cui herbæ arboresque virent, cui bruta famulantur, cui totus se orbis in obsequium dat. Vah ignarissimam scientiam, omnia scire, & se nescire, hominem esse, & quæ hominis sunt, non nôsse. Quæ sunt supra nos, quæ sunt infra nos, quæ sunt circa nos, sunt intra nos. Habemus in parvo mundo, quod quærimus in magno. Nihil in cœlo, nihil in terrâ, cui non anima corpusq; nostrum multis parasangis anteeat. Agamus ergò quod nostrum est, ne in alienis curiosi, in propriis desidiosi simus, foris lynces, domi talpæ. Agemus quod poterimus in præsenti, & Consensum ac Dissensum Hominis speculabimur. Cogitavit quidem nos Deus antè, quàm fecit, & voluit omnia universa, quæ creaverat, consentire ac conspirare nobis cũ familiariter, & amicè pacatèque degere. Omnia nobis & pro nobis condidit Princeps Pacis, nihil contra nos. At postquã professam adversus Creatorem suum Optimũ hostilitatem induerat homo, & ad abjuratissimum ipsius hostem Satanam desciverat, omnia vicissim insurrexerunt adversus Naturæ Dominum, & renunciârunt rebelli ac divinæ majestatis reo suũ famulitium. Hinc inimici hominis domestici ejus. Hinc lucta appetitûs inferioris adversus superiorem, & voluntatis adversus rationem, ubi arma sumit ministra contra Dominam, ancilla con-

contra heram, serva contra imperatricem. Hinc conjuraverunt in nos Elementa omnia, & sua beneficia jusserunt verti nobis ad supplicia. Hinc stellæ nos petunt inimicis configurationibus, metalla nos lædunt corrosivis qualitatibus, plantæ nos afficiunt occultis proprietatibus, serpentes viperæque afflant venenis pestilentibus, & Homo ipse Homini lupus est. Hinc illæ lacrumæ: hinc Ilias illa malorum, & cæcorum dissidiorum, quæ capitalis Dei hominumque adversarius dissevit in mortale genus. Ita nimirum per quod quis peccat, per idem punitur & idem. Semper tamen hodieque etiam Benignissimum Numen gladium Justitiæ inungere svevit oleo misericordiæ, & pœnas ipsas peccatorum piis commutat in præmia. Quæcunque sunt in mundo naturalia corpora, vel sunt rectis emolumenta, vel exerrantibus documenta, vel refractariis nocumenta, sed omnia DEI Creatoris Instrumenta, utentis illis benè erga bonos, benè quoque erga malos, quantumvis id malis videatur malè. At non immorandum diu in vestibulo, sed absque citeriori ambage ad ipsas quas dixi Amicitias Inimicitiasque Hominis gradus conferendus est. Eas autem ut pellustremus ordine, primum in genere de Analogiâ Macrocosmi & Microcosmi dissertabimus aliquid, & deinceps in Sympathiam ipsam atque Antipathiam Hominis inquiremus paulò specialius. Unde ad[illegible] duo consurgens Articuli postremi hujus capitis. DOMINE, da mihi nosse te, nosse me!

PRIOR ARTICULUS.

§. I.

TErmini præcognoscendi primùm sunt, & *in consonantium vocabulorum silvâ ramos obvios præcidere par erit, ne alicui fortasse viam obstruant*, uti aliâ in re loqvuntur Conimbricenses *in L. 1. Phys. Arist. Quæst. 1. p. 257.* Vocabula enim sunt cubilia rerum, & qui non intelligit quid nominis, non intelliget, quid rei. Hinc vetus illud: πρὸς τὸ ὀρθῶς διαλέγειν πρῶτον ἐξετάζειν δεῖ τὰ ὀνόματα.

μαζα. Macrocosmus sive Megacosmus potius, Græca vox, Latinis magnus mundus est, Microcosmus parvus. Ille universum cœli terræque systema notat, cum omnibus quæ in eo sunt, Cœlum puta, Elementa, Mineralia, Plantas, Bruta: iste solum Hominem, Epitomen Orbis ac Compendium. Et observant eruditi, Democritum primum fuisse, qui Hominem *μικρόκοσμον* appellaverit. Gregorius tamen Nazianzenus *Orat. 2. de Paschate* Hominem ὐ μικρὸν, ἀλλὰ μέγαν κόσμον nuncupat, quod præter communia quatuor Elementa, ex quibus totus mundus constat, mente quoque divinâ insuper sit præditus. Sed diversus respectus litem facilè componit. De corpore Democritus loquitur, quod contineat omnia ea, quæ sunt in mundo, de Animâ verò Nazianzenus, quod analoga sit iis, quæ sunt extra mundum, Deo puta & Angelis. Analogia *Grammatica* est similium similis declinatio, sicut anomalia inæqualitas declinationum, consvetudinem sequens, apud A. Gellium N. A. l.2. cap.25. Analogia *Logica* vel est attributionis, vel proportionis. Analogia *Attributionis* est, cùm aliquid pluribus tribuitur reverà, sed inæqualiter. Aristot. *lib.7. Met. cap.4.* de ea: ὔτε ὁμωνύμως λέγεται, ὔτε καθ' ἓν, ἀλλὰ πρὸς ἕν. Item: ὐχ' ὁμοίως, ἀλλὰ τῶ μὲν πρώτως, τοῖς δὲ ἑπομένως. Ita Spiritus dicitur & de Deo, & de Angelis, & de Animabus nostris, Ens & de Substantiâ, & de Accidente: sed ibi πρώτως, hic δευτέρως. Ita sanum dicitur de animali Subjectivè, de urinâ significativè, de cibo ac potu cõservativè, de medicamẽtis restaurativè, si ita loqui integrum sit doctrinæ gratiâ. Notatque Arnisæus *Epit. Metaph. p. 50.* Aristotelem hanc nunquam vocavisse analogiam, sed semper expressisse per hæc verba, de uno ad unum. Et Zabarella itidem analogiam tantùm de proportione accipit *De Nat. Sc. Constit. cap. 10. p. 25.* Analogia *Proportionis* est, cùm aliquid uni tribuitur propriè, alteri impropriè: ut sitire animalibus & agris, ridere hominibus & pratis. Ut ita Analoga medio stent loco inter Univoca & Æquivoca. Univoca tribuuntur pluribus & quoad nomen, & quoad rem, idque æqualiter: Æquivoca quoad solum nomen: Analoga & quoad nomen & quoad rem, sed inæqualiter. Utraque Analogia subdistin-

T 2 gvitur

gvitur vicissim in *Extrinsecam & Intrinsecam*. Quo de videantur fusiùs Venerandi Præceptores nostri Dn. D. Martini *Exerc. Metaphys. 3. p. 82. & 8 pag. 280.* & Dn. D. Scharfius *Theor. Transcend. Part. Gener. Disput. 4. thes. 24.* itemque Dn. Scheiblerus *lib. 2. Metaph. cap. 3. §. 158.* Nos hoc loco tantùm proportionem ac similitudinem aliqualem intellectam volumus, non dependentiam unius ab altero per prius & posterius. Metaphoram intendimus, non ipsam rem: similitudinem urgemus, non identitatem. Quia tamen hæc materia cum præsenti nostrâ insignem cognationem & affinitatem fovet, & de cætero etiam nobilis ac famosa valdè hinc inde est, sicco planè pede prætereunda nobis videbatur neutiquam.

§. 2. Repudiamus autem quantocyùs monstrosam illam Hermeticorum & Paracelsistarum sententiam, quâ non tantum Analogiam Macrocosmi & Microcosmi totius Philosophiæ ac Medicinæ fundamentum faciunt, sed & realiter cœlum ac terrã, & quidquid in ipsis est, imò etiam quidquid non est, in homine contineri garriunt. Ita Paracelsus *lib. 4. de origine morborum invisibilium* scribit: *in homine esse astrorum motûs, naturam terræ, aquæ, aëris, omnia vegetabilia, omnia mineralia, omnes constellationes, quatuor ventos.* Et *Paragrani tractat. 2. Medici esse scire in homine caudam Draconis, arietem, axem polarem, lineam meridionalem, orientem, occidentem.* Quare non addidit etiam Cerberum, Tisiphonem, Megæram, Plutonem, Acherontem? quæ istis omnia precanda sunt, ut boni fiant. *In Labyrintho Medicor. errantium cap. 4. omnia mundi majoris in homine esse* dicit, *eumq́, verum esse medicum* scribit, *qui possit dicere, Hoc in homine est Sapphirus, hoc Mercurius, hoc Cupressus, hoc flos Cheiri.* Ita Crollius: *Circulus dicitur Homo, quod in se omnes Creaturas contineat.* Item: *Est in nobis totũ Firmamentum, cum Planetis & Stellis.* Et iterum: *Homo totius mundi partes habet, & nihil est in majori mundo, quod in ipso homine realiter* (NB) *non reperiatur. Tota mundi machina collecta & reducta est in Microcosmum, ita ut nihil in toto mundo reperiatur, quod videre etiam non sit in homine.* Ita Valent. Weigelius: Auß allen Creaturen ist der Mensch formirt nach seinem sterblichen und tödlichen

Theile/dieweil dieser Erdenkloß/das ist die gantze Welt/gantz gebracht ist zusammen in einen Menschen. Denn alles was im Himmel und Erden ist / dasselbe ist auch im Menschen / ja der Mensch ist die Welt selber. Darumb er auch μικρόκοσμ@ geheissen wird. Vid. *Sennert. de C. & D. cap. VI.* Sperl. *Anthropol. Proœm. cap. 2. Q. 2.* At verò recitâsse hæc fortean est refutâsse: & *vereor, ne diu immorando in sententiâ à seipsa expugnatâ, atque onere suo collapsâ, mihi ipsi faciam injuriam*, ut Scaliger loquitur *Exerc. CCCVII. 6.* Quæ tandem per Deum erit hominis essentia, quæ ex tot mundi essentiis in unũ quasi chaos miserè conflata & cõfusa sit? Scaliger, contra eos disputans, qui *non sine validissimâ ratione à ratione aberrantes*, tres Animas in Homine statuebant, ita ait *Ex. d. §. 5. Esset homo unum, quasi cumulꝰ partibꝰ coagmentatis. Ac propterea nullis artibus ejus vera notio comprehendi posset. Non verus homo, sed verus Geryon, veraq; Chimara, ac si quid aliud trinum triplexvè ab Ausonio animadversum est. Cœlitùs igitur aliqua demissa machina expetenda est, quæ hanc tàm tetram tollat belluam, eiq; rem substituat Naturæ convenientem.* Sed juxta novos hos Philosophos, non tricorpor Geryon, sed centimanus Poëtarum Briareus & Gyges, ac centiceps Horatii bellua, 2. *Carm. Od. 13.* aut si quid portentosius pingi fingiq́ue potest, Homo erit. *Habeant suam Philosophiam, inquiat animus compositus, quâ homo non tergeminus forsan Geryon, sed monstrum ingens & horrendum è Stellis, è Metallis, è plantis, brutis, & nescio quibus non conflatum est*, sunt verba Exc. Sperl. *c. l.*

§. 3. Non parvi pendimus alioquin Analogiam majoris & minoris mundi: sed instillamus hoc saltem: simile non est idẽ: imago non est res: affinitas non est proprietas. Hæc tria semper distinctissima sunt: identitas, æqualitas, similitudo. Illa habetur in Substantiis, hæc in Quantitatibus, ista in Qualitatibus. Non ergò temerè in unum confundenda, quæ differunt toto genere. Eruditè D. Sennertus *cap. cit. extr. Animus veritatis amans & τρόπον 6... callens non obliquis & obscuris comparationibus contentus & similitudinibus & inanibus opinionibus saturatur, sed solidas Demonstrationes expetit, & unumquodque propriis principiis, non ali-*

entis & extraneis æstimat. Opinari & similia adducere scientiam non parit, sed scire est semper causam cognoscere. Et cum eos qui apodicti- ca argumenta se habere putant, & Demonstrationibus nituntur uti, sæpè falli contingat, quid accidet iis, qui comparationibus & symbolismis so- lùm utuntur. Nullum enim est simile, quod non etiam aliquâ ex parte sit dissimile. Aliter ergò paulò explicanda ista res, si aliquod o- peræ precium in eâ præstari debeat. Nicolaus quidem Nance- lius Medicus integrum Opus edidit, idque vastum satis, quod vo- cat *Analogiam Microcosmi ad Macrocosmum.* Sed verè hîc tibi Pindari illud in mentem veniat: ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές, aut Horatii istud: ——amphora cœpit Institui, currente rotâ cur urceus exit? Nihil quippe minus agere videtur in opere laudatus vir, quàm quod paraverat agere in titulo. *Pro epulis apponit titulos convivis*, quod in Plinio taxat Scaliger *Ex. CCVII.* Tantùm Libro primo Comparationi qualicunque incũ- bit: in cæteris simpliciter solum Hominem contemplatur, The- ologica, Anatomica, Physica, Medica de eo subinde miscens, oblitus omnis relationis ad macrocosmum: uti volventi ac re- volventi patet ad oculum. Convasanda ergò aliunde Materia hæc, & quæ sparsim subministrant autores cæmenta, nostrâ cal- ce committenda erunt.

§. 4. Primùm ergò dicimus, secuti vestigia Præceptoris Nostri Honorandi DN. SPERL. *Instit. lib. IX. cap. 1. Q. 2.* Hominẽ Microcosmum indigitari *propter gradus Entis.* Quatuor sunt in universum Entium ordines. Quædam habent esse tantum, quæ- dam præter esse etiam vivere, quædam præter esse & vivere, et- iam sentire, quædam præter esse, vivere & sentire, etiam intel- ligere. Cœlum, Sol, Stellæque cæteræ, itemque mineralia ig- nobilissimum Entis gradum obtinent, & esse nudum habent. Nulla ibi vita, nullus sensus, nullus intellectus. Herbæ atq; ar- bores non essentiâ tantùm, sed & vitâ gaudent, nutriuntur, au- gentur, generant & generantur. Antecellunt has bruta animantia, quæ non sunt ac vivunt tantùm, sed & sensibus præterea pollent, vident, audiunt, odorantur, & externas rerum species ad cere- brum revocant. Supremum tandem gradum tenent intelligen- tes Na-

tes Naturæ, Deus, Angeli, Homo. Ubi decentisſimus ordo ſemper ab inferioribus ad ſuperiora, ab ignobilioribus ad nobiliora. Quod urgemus imprimis ibi in Phyſicis, ubi diſputamus, omne animatum eſſe præſtantius inanimato, & lactucam muſcamq; ipſi Soli præferre non dubitamus. Qvidqvid contrà Mendoza de incorruptibilitate Solis oggerat *Diſp. Phyſ. X. ſect. 4. p. 329.* qvippe qvæ nullam rei affert nobilitatem, ſed nudam Entis ſive nobilis, ſive ignobilis, durationem, & in eſſe ſuo permanentiam notat, docente accuratè Celeb. Sperlingio *Inſtit. L. VII. cap. 1. q. 1.* & Defenſ. *Lib. 1. cap. 9. pag. 286.* Stat immotus Canon: Omne vivens ſimpliciter perfectius eſt non vivente. Jam verò Homo iſtos gradus omnes in ſe complectitur. Homo eſt, homo vivit, homo ſentit, homo intelligit. Habetq; adeò etiam omnes perfectiones Entium. Menſura perfectionis in genere Entium Deus eſt. Perfectiora illa Entia ſunt, qvæ ad Deum accedunt propiùs, imperfectiora, qvæ à Deo recedunt longiùs. Menſura perfectionis in genere Corporum Naturalium Homo eſt. Qvæ ad hunc accedunt magis, nobiliora ſunt, qvæ recedunt nimis, ignobiliora. Ideò etiã totum antè mundum fabricavit Deus, qvàm Summam qvaſi ejus in Homine deſcriberet, ut eſſet σοφοῦ τέκτονος καλὸν ποίκιλμα, ceu Euripides eũ vocat, ut in eo ſtrictim & cœleſtia & terreſtria omnia tanqvam in parvâ mappâ depicta exhiberentur.

§. 5. Deinde *propter ordinationem* Hominem parvum mundum appellari auguramur. Qvæcunq; enim ſunt in mundo, propter hominem ſunt. Hujus uſui totus orbis cum omnibus ſuis partibus inſervit. Hic Numen illud terrenum eſt, cui Sol & Luna famulantur, cui mineralia omnia traducuntur, cui cuncta terrâ naſcentia florent ac germinant, cui dominium datum in piſces maris, & in volatile cœli, & in jumentum, & in omne reptile reptans ſuper terram *Gen. I, 26. 28* cujus pedibus omnia ſubjecta ſunt, pecudes & boves, beſtiæ campi, volucres cœli, & piſces maris, transeuntes ſemitas maris, *Pſal. VIII, 7. 8. 9.* Piè Trismegiſtus *L. de Potest. & Philoſoph.* πρῶτον ὁ θεός, δεύτερον ὁ κόσμος, τρίτον ὁ ἄνθρωπος· ὁ κόσμος διὰ τὸν ἄνθρωπον, ὁ δ' ἄνθρωπος διὰ τὸν θεόν. Et in Clave: ὁ μὲν οὖν κόσμος ὑπόκειται τῷ θεῷ.

θεῷ, ὁ δ' ἄνθρωπος τῷ κόσμῳ· τὰ δ' ἄλογα τῷ ἀνθρώπῳ, ὁ δὲ Θεὸς ὑπὲρ πάντα καὶ περὶ πάντα. Bene Scaliger *Exerc.CCL.1.Quod animal nobilissimum? Homo: propter hominem ergò cœlorum actiones. Igitur & propter hominem cæli ipsi. Ipse quoq; Philosophorum Princeps microcosmon appellat hominem. Eum tanqvam regulam ac mensuram proponit ad cæterorum omnium animantium cognitionem in libris historiarum. In secundo Physicorum etiam divina verba illa : ὡς ἡμῶν ἕνεκα πάντων ὑπαρχόντων· ἐσμὲν γὰρ πως καὶ ἡμεῖς τέλος.* Qvi ibidem haut abs re monet, ambiguâ significatione sumi illam Propositionem, cùm dicimus: Omnia propter hominem : homo autem propter Deum: cùm omnia qvæ propter aliud sunt, illi propter qvod sunt, aliqvod bonum sint. Utique enim τὸ *Propter* modò latiùs modò pressiùs accipitur. Conf. Scheibler. Topic. *cap.4. n.9. & cap.6.n.6.*

§. 6. Et qvamvis hîc non pateat ubiq; clarè admodum, quomodo omnes corporum species homini sint emolumento, nostra tamen ignorantia rei negationem non infert protinùs. Hæc infirmitas sensus ac intellectus nostri est, qvæ potiùs accusanda, qvàm benignitas Creatoris incusanda. Ex accidente fit, si qvid damni fit â serpentibus, scorpionibus, ac aliis venenatis animalibus homini peccatis infecto. Imò etiam ex serpente lucrum venit. Cutis enim ejus non venenis saltem, sed & luxationibus resistit. Carnibus ejus cervi ac ciconiæ vescuntur, cervis ac ciconiis utuntur deinceps homines. Cardanus scribit. *L.9. de subtilit. Raphani succo perunctos negant a serpentibus vulnerari. Corij quoq; cremati odor, quo etiam hystericæ mulieres revocari solent, serpentes fugat. Referunt qvendam, qui viperam dormiens devoraverat, fumo corij liberatum, illa refugiente fumum, quem æger ore excipiebat.* Et observàrunt docti, fermè unumquodq; sui veneni remedium afferre. *A cane rabido demorsi* (verba sunt Bartholini *Phys. spec. part.3. l.2.c.4.*) *sanantur ejus pilis, epate, carne. Scorpio, mus, araneus, draco marinus & pastinaca dejecti & plagis impositi juvant. Stelliones â demorsis devorati sanant. Ulceri â crocodilo ejusdem pinguedo instillata subsidiatur. Viperarum partes principales & caro ipsa viperarum morsibus aliisq; venenis medetur. V. Portam Phytogn.l.3.c.2.*

Venena

Venena quadam non solùm venena trahunt, sed & spicula ac aculeos à corporibus sine dolore extrahunt. Quibus in locis vigent morbi, ibi Natura procreavit remedia. In Indiâ gallica lues, ibi & lignum gvajacum copiosè provenit. In Norwegiâ Scorbutus dominatur, ibi deniq; abundantia remediorum scorbuticorum, ut telephsij, baccarum molteber &c. Africa serpentum feracissima fert aromata. In Argo copia scorpionum, ibi locusta etiam nascitur, adversus Scorpiones insurgens. De insectis queritur Plautinus Curculio IV. 2. 14 *Uti muscæq; culicesq; pedesq; pulicesq; odio & malo & molestia, bono usui estis nulli.* At verò si equus natus in usum hominis, quidni & musca, cimices ac vermes? Qui pulicem hominis causâ creatum dicunt ad inutilem ejus sugendum sanguinem, & cimicem allegatum â Naturâ, ut noctu ex importuno somno excitet nos ad preces cælitibus fundendas, superstitiosè nugaces habentur Scaligero meritò quidem, & miseri ac infelices operum Naturæ Interpretes *Ex. CCL. 1.* Rectiùs nos dicimus, plura ex animalibus illis venenosos auferre halitus ex aëre, aquâ, terrâ, sicque elementa purgare, plura majoribus animalibus, ac conseqventer etiam ipsi homini in alimentum cedere. *Etsi enim non omnia possunt comedi ab hominibus, tamen comeduntur ab aliis brutis, qva bruta prosunt & famulantur hominibus,* disserit Dn. D. Frantzius *Hist. Anim. part. V. c. 1.* Qui idē videndus hanc in rē *Præfat. p. 1. 2. 3.* item Dn. Sperling. *Instit. l. 1. c. 6. Explic. Præcepti V. & Origine Formarū p. 28 seqq.* Dn. Scheibl. *l. 1. Met. c. 22. §. 390.* Conimbricenses *in L. 1. de Cœlo cap. 1. q. 1. art. 6. & in l. 2. Phys. c. 9. q. 1. art. 3.*

§. 7. Microcosmus etiam Homo *est propter intellectionem.* Ut intellectus noster intelligendo fit omnia, sic homo etiam omnia dici potest. Insatiabilis est intellectus hominis, nec uno expletur ferculo: sed crescit amor cognoscendarum rerum, quantum res ipsæ crescunt. *Adspernatur enim certorum finium præscriptionem,* dicit Scaliger *Exerc.* CCCVII. 11. Vagatur freno non remorante per humana, per divina, per terrestria, per cœlestia, per supera, per infera, & ubiq; est si non re, tamen opere. Efferemus hoc exquisitissimis verbis Hermetis Trismegisti initio Asclepii: *Magnum miraculum est homo, animal adorandum & honorandum: Hic enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus, hic dæmonum genus novit, utpote qui cum iisdem ortum esse se cognoscat,*

hic humanæ naturæ partem in seipso despicit, alterius partis divinitate confisus. O hominum quanta est natura temperata feliciùs, ac Diis cognatâ divinitate conjunctus: partem sui, quâ terrenus est, despicit, cætera omnia quibus se necessarium esse cœlesti dispositione cognoscit, nexu secum caritatis adstringit, sicq́; suscipit cœlum. Sic ergò feliciori loco medietatis est positus, ut quæ infra se sunt, diligat, ipse â superioribus diligatur. Colit terram, elementis velocitate miscetur, acumine mentis in maris profunda descendit: omnia illi licent, non cœlum videtur altissimum, quasi enim è proximo sagacitate animi intuetur, intentionem animi ejus nulla aëris caligo confundit, non depressio terræ opera ejus impedit, non aquæ altitudo profunda despectum ejus obtundit, omnia idem est, & ubiq́; idem est. Idem *in Mente ad Hermetem: Cogita à teipso & præcipe tuæ animæ, ut in Indiam vadat, & celeriùs tuâ jussione illic erit. Transire eam jube ad Oceanum, & ibi rursus citò erit, non ut quæ locum mutaverit in locum, sed quasi ibi existat; jube ipsam & in cœlum evolare, neq́; alis indigebit. Sed neq́; ei ullum est impedimentum. Non Solis ignis, non æther, non vertigo, neq́; corpora astrorum aliorum. Sed omnia proscindens adscendet usq́; ad postremum corpus. Si verò volueris universum etiam perrumpere, & ea quæ extra (si quid extra est) mundum sunt, contemplari, licet tibi. Intuére quantam vim, quantam celeritatem habes. Tu omnia hæc potes; DEUS autem non potest?* Quando ergò sic intellectus hominis intelligit omnia, cum sit omnia. Juxta Aristotelis illud *l.3.de anima cap. 4.t.15.* δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν, πρὶν ἂν μὴ νοῇ. Et Scaligeri istud *Exerc.LXIX. Anima per multarũ rerũ intellectionẽ fit multa.* Quod tamen nõ realiter intelligendũ, sed idealiter, nõ entitativè, sed repræsentative, si ita σαφηνείας ἕνεκα καὶ τοῦ εὐπαρακολουθήτου loqui libeat, quod cõcedit Aristoteles *2.Nicom.7.* Non fit canis aut eqvus realiter intellectus meus, cùm canem aut eqvum cogitat, sed speciem eorum in se tenet ac imaginem, quam abstractam ab externis objectis, & depuratam à speciebus sensibilibus sistit sibi præsentissimam, & sic unum dicitur fieri cum re intellectâ. Sicuti & aliàs dici consvevit, Scientiam esse quodammodo ipsa scibilia. *Nego tibi*, dicit ad Cardanum Scaliger *Ex. CCCVII.* 6. *illud à Philosopho esse dictum, intellectum nostrum esse omnia essentialiter aut formaliter,*

ut

ut loquuntur. Sed est omnia subjective: sicuti materia prima, quæ non fit equi essentia sub formâ equi, sed remanet id, quod erat, Substantia quædam, ex quâ & formâ fit hoc aliquid. Transeat ficta Hypothesis. Haut decet bonam causam malè agendo perdere.

§. 8. Tandem Homo parvus mundus salutatur meritò *propter Corporis sui constitutionem*, quâ respondet quasi per egregiam Imaginem toti Universo, & cum quâvis ferè mundi specie analogiam habet. In genere id primò delineabimus. Caput in editissimo loco situm, non propter solos oculos, quod Galenus tuetur, sed inprimis propter cerebrum, Sensuum Templum, nonnè supremam Universi partem in imagine parvâ refert? Aristoteles agnovit hoc ipse jam, cùm *cap. 15. lib. 1 Histor. animal.* eruditè scripsit: *Hominis partes tàm superiores, quàm inferiores, ad situm orbis universi superiorem inferioremq; dispositæ sunt. Caput itaq; cæteris omnibus superiorem obtinet situm, corporis sui ratione. At homo, quoniam (ut modò diximus) ad universi Orbis habitum institutus est, idcircò partem etiam istam habet respondentem parti sublimi Universi.* Et nescio, annon huc quoque Platonis istud referri possit *in Timæo*: τὰς μὲν δὴ θείας περιόδους δύο οὔσας τὸ τοῦ παντὸς σχῆμα ἀπομιμησάμενοι περιφερὲς ὂν εἰς σφαιροειδὲς σῶμα ἐνέδησαν: *Dii duos animæ divinos circuitûs ad rotunditatem mundi sphæricam finxêre.* Cardanus scribit *l. 1, De rer. var. cap. 1. Succinum, adamas & gemma pleræq; festucas, cùm affricantur panno, trahere solent. Hæc omnia uni innituntur rationi, quod quemadmodum in humano corpore omnia sibi invicem consentiunt, diversis tamen ex causis, ita in mundo. Anima cœli rationem habet, cor lucis ac luminis, ut cœlum cuncta mutat, ita anima corpus. Et velut corde affecto Corpus patitur, ita luce mundus. Rursus ut cerebro patiente totum corpus afficitur propter sensum, qui in partes singulas defertur à cerebro, ita mundus affectâ Lunâ. Itaq; Sympathia constat in mundo velut in humano corpore, consensusq; partium est in utrisq;.* Laurentius clarius hoc effert *lib. 1. cap. 2. Hist. Anatomica*, ubi Hominis cum Mundo collationem ex professo instituit: *Caput humanæ mentis arx, rationis sedes, sapientiæ domicilium, memoriæ, judicii, cogitationum (quibus humanum genus intelligentiis est simillimum) officina, editissimum locum obtinens, annon supremam illã & ange-*

& angelicam mundi partem pulcrè refert? In Thorace cordis domicilium. Hoc cum Sole elegantem analogiam exhibet. Sol est cor mundi: cor est Sol hominis. Sole præsente totus mundus agit hilaria, amicitur terra floribus, arbores trudunt gemmas, animalia cuncta in amplexûs ruunt mutuos. Absente eo flaccescunt omnia & tabescunt. Ita Corde vigente vigent omnia in parvo mundo, cadente cadunt. Hic est fons ille vivifici nectaris, cujus perenni fluxu fœcundantur & irrigantur membra singula. Hic Ignis ille Promethei est cœlitùs delatus, quo sive vi, sive naturâ extincto frigidum cadaver habes. Inferiore ventre, qui nutritioni ac generationi destinata membra continet, respondet homo Elementari Regioni, in quâ perpetua generationum & corruptionum vicissitudo. Quamvis enim ipsa Elementa neqve generationi neque corruptioni vigeant obnoxia, Subjecta tamẽ sunt earum communia, & fatali labe ac clade occidere ac oriri vident caduca corpora. In ipsis generantur plurima, non ex ipsis. Jonstonus ait *Admir. Hom. cap. 1. Venter hominis terra est omniformium frugum ferax. Vena cava mare mediterraneum. Vesica mare occidentale, in quod omnia flumina exonerantur, & Sal superfluũ resolutum colligitur. Habet Orientem in ore: Occidentem in ano: meridiem in umbilico: septentrionem in dorso. Summa: Europa, Asia, Africa, America geographicè describi possunt in homine.*

§ 9. In specie deinde Calidum nostrum Innatum cum quintâ Cœli Essentiâ analogiam habere, in terminis docemur ab Aristotele, insigni illo loco, *quem omnes rerum naturalium scrutatores perpetuò ob oculos habere debebant*, præcone Magno Sennerto *De C. & D. cap. 8.* Exstatis *lib. 2 de gener. anim. c. 3.* ubi τὸ θερμὸν hoc vocat ἕτερον σῶμα καὶ θειότερον τῶν καλουμένων στοιχείων, diciтq; id esse οὔτε πῦρ, οὔτε ἀπὸ πυρὸς ἔχειν τὴν ἀρχὴν, sed esse τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι καὶ ἐν ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος (NB) οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. Stellas errantes si in Microcosmo quærimus, cor hominis correspondet Soli, Lunæ profluens cerebri medulla, Veneri partes genitales, benefico Jovi epar, Mercurio vario pariterq; ingenioso facundiæ & venustatis instrumenta conveniunt, Martis incendium & furorem fellis in se vesicu-

ficula recipit, Saturni frigidum fidus flaccida lienis caro, melancholici humoris receptaculum, ob oculos ponit. Comparationem feptem Planetarum cum feptem nervorum conjugationibus inftituit Nancelius *Analogia l.1.c.4.* Fixas autem Zodiaci cumprimis Stellas peculiares fibi vindicare Corporis noftri partes, Aftrologi nobis tradunt in Faftis fuis. Totum id Manilius expreffit his verfibus *l.2. Aftronomici cap.12.*

Accipe divifas hominis per fidera partes, &c.

Sennertus ait *Cap.6.de C. & D. Peculiares ftellas cum privatis & peculiaribus corporis noftri partibus cognationem habere, quod Aftrologi affirmant, nonnegaverim. Imò fummè neceffarium effe putamus, ut medicus inquirat, quæ gemmæ, mineralia & metalla, plantæ ac animalia, imò fi fieri poffet, ftellæ cum homine & fingulis ejus partibus CONSENSUM ET DISSENSUM habeant, atq; hoc fi diligenter annotaretur, quod omnimò fieri deberet, miranda curationes perfici poffent.* Et *c.13. Non malè Aftrologi certas corporis partes certis Stellis attribuere videntur.*

§.10. Meteororum cum Homine Analogiam ita edifferit Laurentius *cit. l. Fulgores primùm terrificos & corufcationes ignitas excandefcentium oculorum rubra indicant fuffufiones, & inde emicant* ἐκλάμψιες. *Inteftinorum rugitûs, borborygmi obmurmuratûs, ftrepentes crepitûs & ructûs mille tonitruum fpecies exhibent. Ingruentem flatuum vim ventorumq; tempeftates turbidas, cruditatum exhalationes, aurium fibili & tinnitûs prænunciant. In faucium fpatia, laryngem, thoracem, decumbens fluentis inftar humor, pluvias atq; imbres infinuat, coacta rotundaq; fputa grandinis gerunt fimilitudinem: lacrumæ rori asfimilantur: concusfivi, convulfivi, tremuli & palpitantes motûs, terræ motûs defignãt Reperiuntur in corporibꝰ noftris fodinæ, è quibus metalla & lapides eruuntur, nõ ad ædificandã, fed diruendã domũ: renũ itaq; & veficæ calculi foffiliũ ac mineraliũ fpeciẽ præ fe ferunt.* Eâdẽ Allegoriâ decurrit D.Horftius *Compend. Phyfica Hippocratica difp. IV.Th.12* cũ ait *Quemadmodũ in Macrocofmo meteora generantur, ita in microcofmo quoad Ignea inftar fulminis oriuntur epilepfia, apoplexia, paralyfis, quas plerumq; comitatur aut fubfequitur pluvia, catarrhus, & antecedit fulgur, dum illis fplendor inftar fulguris ob oculos ver-*

 fatur,

fatur. Ita trabes, Dracones volantes repræsentant febres ardentes, phrenitides, capitis dolores & ardores. Qvoad Aqvea catarrhi sunt pluviæ, spuma v.g. epilepticorum & saliva nivem repræsentat, vapores, nebulas, gypsea pituita grandinem. Venti verò Orientales in homine procedunt ab humore bilioso, meridionales à pituitâ salsâ & bile permistâ, occidentales ab humore aqveo pituitoso, septentrionales à denso & melancholico; Ecnephias respondet Catarrho suffocativo, turbo vertigini, prester epilepsiæ cum febrili malignitate conjunctæ. Ita horrore & palpitatione microcosmus laborat, ut macrocosmus terræ motu. Annon etiam Iris oculis nostris contingit, variiq; colores & chasmata?

§. II. Illustrissima qvoq; est Analogia Plantarum & Hominis. Ob qvam Platonicorum Academiæ docebant, plantam esse inversum hominem, & Hominem esse inversam plantam. V. Scalig. Ex. CXL. 2. & CXLI. 3. Velut homo alimento per os assumto, tanqvam per membrum superius, nutritur: ita planta per radices alimoniam haurit, tanqvam per membrum inferius. Inferius dico, ratione centri & peripheriæ mundanæ: nam ratione principii nutritionis etiam radices plantarum Aristoteles vocat summam partem. Ut capilli homini tum ornatui sunt, tū tutelæ, ita folia herbis ac arboribus. Turpis sine gramine campus, Et sine fronde nemus, & sine crine caput. Avertunt folia injurias pluviarū & ustulationē radiorū solarium. Unde in Moluccis, Chinâ, Peruviâ, cæterisq; Zonæ torridæ Provinciis nunquam decidunt, ut umbram faciant perpetuam. Menstrua mulierum sunt quasi flores arborum. Non est prius planta fructifera, qvam florifera. Neq; concipit prius ordinariè, qvàm qvæ menses habuit. Ut fructum flos præcedit, sic fœtum sanguis menstruus. Vid. SPERL. *Deformat. Hom. Cap. 3. Q. 3.* Principium Generationis hominum semen est: idem & Plantarum. Manibus & unguibus Homo præditus est: nec desunt vitibus, pisis, cucurbitis, hederis, capreolæ & claviculi sui, queîs sustentent se, & vicinis pertinaciter adhæreant. Excrementorum adinstar habent galla in robore, gummi in cerasis, tuberculi aut spongiolæ in aliis. Venas, fibras, nervos per totum corpus dispersos vides, per quæ vasa alimentum attrahunt, retinent, concoquunt, qvod cœco

qvodam

qvodam meatu ad summum usq; & ad extremum undiqvaq; distribuitur. Ut hinc conficiat Laurembergius *Horticulturæ lib. I. cap. 12.* ob tàm notabilem similitudinem homines in arbores mutatos Poëtas finxisse, Daphnen in Laurum, Heliades in populos, Philemonem & Baucin in arbores alias, Loton nympham & Myrrham in cognomines arbores, Dryaden in quercum, Cyparissum in Cupressum, Narcissum & Hyacinthum in flores sui nominis. Qvomodo unus homo sit velut πᾶν ζῶον cursu, natatu, volatu, ignis commercio, amictu, vocibus, secessibus &c. prolixè dissertantem reperis Nancelium *Lib. XIII. Probl. XIII.* si vacat, neq; tædium actutùm obrepit.

§. 12. Atq; intra hos similitudinis cancellos cùm se continet hæc de Analogiâ Macrocosmi & Microcosmi Disqvisitio, laude non caret. Cum verò plus ultrà tenditur cum Chymicis, & realitas aliqua specierum mundi in homine quæritur, id enimverò non vitiosum, sed vitium est. Ostendant qvæso nobis plantas & Animalia, & ingentem siderum exercitum in homine quoad species suas. Nec evadere Severinus potest, cum dicit: *non oportere formas ipsas & externas signaturas rerum naturalium in Microcosmi anatomiâ inquiri: sufficere proprietates, scientias, dona, prædestinationes, tincturas seminales, vitas & potestatis custodes: vanam esse bovem in homine inquirere, cupressum, fagum, triticum, vitem, aurum, smaragdum. proprietates verò & tincturas radicales, actionum fontes, uvarum, tritici, hordei, auri, smaragdi, rosarum, violarum qui quærit, invenire.* Præterquam enim quod à sociennis suis divortium parat Cadmæus fraterculus; non potest esse ulla operatio, aut ulla qualitas alicujus rei, nisi præsupponatur res ipsa, Subjectum ipsum cujus illa est qualitas aut operatio. Semper se consequuntur hæc tria Naturæ momenta: Essentia, Facultas, Operatio. Est in homine caliditas & calefactio, frigiditas & frigefactio, at non absque igne, non absq; aquâ. Nervosè, ut omnia, Ingens Silesiæ nostræ Decus, Dn. Sennertus *d. c. 6.* *Si juxta similitudinem vel analogiam, aut etiam genericè omnia quæ mundus complectitur, in homine inesse dicuntur, id non improbant Aristotelici & Galenici. Verum quod secundum speciem omnia in homine sint, non admittunt*

mittunt. Habet nimirum in se homo virtutem vegetantem universè, & eatenus cum plantis convenit; non autem habet vires & facultates, multò minus essentiam cujuslibet plantæ in specie. Præterea & sensu praeditus est, at nō quomodo speciatim animalia hoc vel illo sensu præstant. Abrumpenda hîc fila Disputationis sunt, ne agglomeretur plus justô tela hæc.

CAPITIS QVINTI POSTERIOR ARTICULUS.

Resp. VALENTINUS Müller / Smalcaldiâ Francus.

§. 1.

MAjoris & minoris mundi Analogiam generaliter consideravimus in superioribus. Reliqvum est, ut ad ipsam Sympathiam ac Antipathiam Hominis in specie gradum feramus. Amplissimus hîc nobis campus & amœnissimus ostentat se, quem ingressi plurimi, pauci emensi sunt. Juvat tamen vel sic quoq; persequi institutum nostrum, & qvæ in utramque partem circa præsentem materiam ventilata â diversis ingeniis judiciisq; sunt, percensere brevibus, ac summa potius capita perstringere, qvàm rem totam exhaurire. Non præripuerunt nobis majores, qvæ dici poterant, sed aperuerunt. Non inventa, sed quærenda nobis reliquerunt. Et ubi succumbunt interdum, commune mortalitatis incommodum, caliginem mentium, in memoriam nobis refricant, & vel lapsu suo nos erigunt ac sustentant. Præclarè Aristoteles *l.2.met.c.1. Non solùm illis agenda sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescit, sed illis, qui superficietenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam isti, habitum utiq; nostrum exercuerunt. Si enim Timotheus non fuisset, multum melodiæ nequaquam habuissemus: si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus qvidem.* Et Scaliger *Exerc. CXLVIII.4. Illud ante oculos semper habendum censeo: te, meq; aliosq; omnes nos homines esse meminisse. Qui si qvid homo sit, scias, facilè te nihil esse intelliges. Ego verò nequaquam homines esse nos dicere consuevi, sed partes hominis. Ex omnibus enim aliquid fieri posse,*

posse, idq; non magnum, ex singulis penè minus qvàm nihil. Quare prisceis illis etiam bispidis, etiam qui errârunt, habendam esse gratiam censeo. Nobis mutuò vel petenda ultrò, vel speranda venia à benignis.

§. 2. CONSENSUS Hominis datur cùm Internus & cum seipso, tùm Externus, & cum altero. *Cum seipso* consentit mirificè totus homo in universis suis partibus. Anima & corpus tantâ necessitudine copulantur sibi invicem, ut non nisi ægerrimè divellatur par conjunctissimum. Naturalis nempè appetitus iste animæ ad corpus est, & implantatus in primordio rerum â Magno Deo, qvi DEUS viventium & non mortuorum audit, intendebatq; initiò vitam hominis perpetuam. Hinc indignatio tanta, hinc renitentia tanta hodiè, cùm rumpit tale vinculum importuna mors, quæ invidiâ Satanæ ad omnes pertransiit. Nec tamen vel sic quoq; amicitia pristina extingui ac tolli funditùs potest. Quin etiam post fata superstes manet animæ ad corpus propensio, quæ perfectionem totius semper postulat, & reduniri cū residuâ parte naturaliter expetit. Tanta vis est mutui istius ignis, ut licet sepultus jam ac sopitus videatur, tamen quasi cineri doloso suppositus resultet subindè, & stricturas haut inevidentes de se projiciat. Ut adeò verè cum propriâ naturâ prælientur, qui suffocantes malitiosè atq; retrudentes enitentes hasce flammas, sibi ipsis violentas manûs inferunt, & aut sceleris conscientiâ ducti, aut futurorū metu anxii, ignominiosum mortis genus dulcissimæ vitæ præferunt. Etiam ipsa bruta salutis suæ cupidissima & retinentissima sunt, quàmdiu possunt. Canis aquis injectus ad extremum usq; vitæ halitum certat pro conservatione sui. Vermiculus pedibus contritus aut in partes dissectus torquet se mirum in modum ac vertit in omnes partes, antequam mortem oppetit, τῶν φοβερῶν πάντων φοβερώτατον. Quidni homo princeps animantium & ad æternam vitam primò conditus?

§. 3. Nec minus corporis quoque membra universa omnia inter se amicè conspirant & familiariter degunt. Quod in genere docuit satis efficaci ad concordiam Fabulâ, Menenius Agrippa, facundus vir, interpres arbiterq; concordiæ civium, & legatus Patrum Romanorum, cum ob impotentiam fœneratorum, in

terga qvoq; serviliter sævientium, in Aventinum montem plebs armata secessisset. Dissensisse nimirum qvondam inter se humanos artûs, quod omnibus opere fungentibus solus venter immunis ageret, deinde moribundos à sejunctione redisse in gratiam, qvando sensissent, qvod ejus operâ redactis in sanguinem cibis irrigarentur, Livius *Dec.* 1. *l.* 2 Florus *l.* 2. *c.* 23. Valerius Max. *l.* 8. *c.* 9. Ita qvod nec Legum, nec Magistratûs potuit autoritas, id fictitiæ potuit narrationis blandimentum. Eâq; ipsâ fabellâ satis appositè pro se cæterisq; cùm Ecclesiæ tùm Reip. præfectis usus est Hadrianus Papa, apud Joannem Sarisberiensem *Polycratici lib. VI. c.* 24. uti inprimis inculcat idē luculentâ oratione Gentiū Apostolus I. COR XII. 14. 26. qvi omninò locus totus huc quadrat. Alteriꝰ sic altera poscit opēres, & conjurat amicè. In specie certorū membrorū cū certis admirandus Cōsensus dudū à peritis taliū observatoribus animadversus fuit. Qvin tantū adolescit sæpè, ut & partes non affectæ principaliter, in societatē doloris rapiātur similiter. Hinc morbi habētur in corpore nostro non tantùm κατ' ἰδιοπάθειαν, verùm etiam κατὰ συμπάθειαν, ubi semper aliqvid mali propter vicinum malum. Cardanus scribit *l.* 8. *de variet. rer. c.* 44. *Illud qvod contigit Carolo Zeno Venetorum Duci clarissimo, supra fidem est. Nam cum vulnus accepisset in genu letale, nec imposita medicamenta quidquam proficerent, referunt Gallograecum medicum sano genu medicamentum imposuiße, ex quo convaluit.* Ibidem: *Nuper cum hac scriberem, dolor acerbissimus duos ultimos maxillæ sinistræ superioris dentes vexabat: unde consensu quodam & alios omnes superiores ejus partis dentes affligebat & maxillā totam, adeò ut os excuti videretur: tùm etiā oculum & aurē & nasi partem eandem vehementer urgebat, nec ullo auxilio abscedebat, sed intermittens qvandoq; revertebatur. Dextrâ manu dentes apprehendebam, distrahebam, nihil proficiebam. Tandem casu aliquo inveni, quod ubi sinistrâ manu leviter apprehendissem dentem, qvi magis vexabatur, ita ut pollice partem exteriorem, indice interiorem comprehenderem, statim non solùm dolor illius dentis, sed & totius partis sedabatur. Illud verò mirabilius, quod quantò leniùs tangebam, tantò celeriùs ac perfectiùs dolor sedabatur. Fiebat autem sedatio hac confestim: & hoc, cùm rediret dolor, sapiùs pluqvam vicies sum expertus, donec sic spontè abscessit, & libentius sum.*

§ 4. Con-

§. 4. Consentit Caput maximè cum ventriculo per insignes nervos sextæ conjugationis, & cum utero per spinalem medullam, cui arctissimè conjungitur, atq; dolores inde communicati seu per materiæ alicujus transmissionem, seu continuitatem solam, sentiuntur, magis à ventriculo quidem in fronte, ab utero autem in occipitio: Schenckius ex Jouberto *lib. 3. sect. 1. obs. 89*. Eidem Schenckio *l. 4. obs. 25*. Capitis cum pene indicibilis propè consensus variis & ferè incredibilibus historiis atq; symptomatibus confirmatus ostenditur. Cordi cerebrum multis fœderibus vinculisque connexum est, & utrumque membrum se mutuò mirandâ symphatiâ afficit, demonstrante Peucero De Divinat. p. 71. b. Orificium ventriculi cum corde & membranis cerebri sympathiam habere, Laurentius docet *l. VI. Q. 18. Hist. Anatomic. Stomacho* (inquit) *affecto, syncope, cardiaca, virium omnium exsolutio eademq; symptomata excitantur, quæ corde affecto, unde nomen τῆς καρδίας ei olim impositum. Sauciato capite, colliso, effracto, si exponatur aëri dura meninx, statim flava & æruginosa vomunt ægri, qvia ventriculus jure societatis in συμπάθειαν duræ meningis trahitur per generis similitudinē & vasorū communionē.* Idē *Lib. VII. Q. 11.* de mirabili uteri cū omnibus fere partibus sympathiâ agit. Cerebri & uteri sympathia est tū per nervos, tū per membranas spinalis medullæ. Hinc in hystericâ strangulatione animales omnes functiones afficiuntur. Cordis & uteri consensus maximus est per insignes arterias tùm spermaticas, tùm hypogastricas, hinc affecto utero lipothymia, syncope, respirationis & pulsûs privatio. Renum & uteri societatem ob spermaticas venas, quarum sinistra ab emulgente ramo ortum ducit, tormina lumborum in gravidis indicant. Celebrem uteri & mammarū consensū, qvo venæ epigastricæ rami juxta umbilicum cum ramulis mammariæ per anastomosin junguntur, verbo tangit DN. SPERL. *Anthropol p.* 430. Laurentius *lib. 1. Anat. Q.* 10. epigastricæ adscendentis, & mammariæ descendentis coitū nō negat, sed patentiores & breviores ductus monstrare laborat. Existimat enim per hypogastricā & spermaticā, qvæ peculiares sunt uteri venæ, refluere ad truncum cavæ sanguinem, lac, cæterosque humores, â trunco mox in axillarem, â quâ thoracicæ duæ insignes

 exor-

exortæ pectorales musculos & glandulosum mammarum corpus irrigant. Contrà à thoracicis refluere lac ad axillarem, ab hâc in cavæ truncum, à quo per spermaticum ramum in uterum, per hypogastricum nunc in uterum, nunc in vesicam feratur, unde plerumque lacteæ ferantur urinæ post partum.

§. 5. Illustris Scaliger, postquam *Ex. CCCXLIV. 5. De matricis affectibus & membrorum sympathiâ* aliqva in medium protulerat, *sect. 6. jocosam sympathiam* narrat, (qvam fors antipathiam alius vocâsset, judice Libavio *part. 2. Singul. p. 143.*) *Reguli Vasconis equitis. Is dum viveret, audito phormingis sono, urinam illicò facere cogebatur. Igitur è turmâ quidam, quem levis ac civilis joci offensiunculâ aspersisset, ridiculam illi paravit ultionem. Ponè discumbentem adduxit caecum quendam cum phorminge. Cujus, ut solebat, sono permotus, ibi sub mensam inter clarissimorum convivarum pedes quin mejerit, continere sese non potuit.* Causam ibi reddit his verbis: *Cultellorum attritu avicula in cancellatis caveolis ad cantillandum excitatur, ob acutam soni contentionem. Idem attritus atq; etiam limæ stridor & sericarum vestium sibilus quasi quidam pluribus incutit horrorem. Ex horrore foris tolluntur pili, intùs musculi succutiuntur. Ea fuit causa, ut ille redderet urinam.* Nempe testudinis ille sonus occultâ quâdam facultate consternavit hominem subitò. Ex hâc consternatione secuta est virium omnium resolutio & ad cor collectio. Cui dum unicè opitulatum iverunt, cœteras partes tantisper destituerunt. Hinc impeditus in iis secundus actus animæ: cujus virtus retentiva dum in musculis genitalis membri, ac inprimis in sphinctere remisit se, aqua spontè effluxit. Qvemadmodum ita sæpè canes, porci, feles, præ anxietate, ac homines ipsimet, præsertim suspensi, non urinam tantum, sed & feces ipsas excernunt universas. Ad Hæmodiam verò illam Scaligeri quod spectat, quando scilicet dentium stupor aliquem incessit ob excellentẽ stridorẽ, dum vel cultellus cultello affricatur, vel limâ aliqvid teritur, vel vitrei orbes smirite raduntur, vel rotæ siccæ aut duro gelu cõstrictæ acutũ qvid strepũt, vel sericeæ vestes stringuntur, ea optimè ad cognationem nervi auditivi cũ his qui dentibus inseruntur, referenda venit. Quã ita effert Valvenda Anatomicus apud Libaviũ *part. 2. Singular. p. 145. Crassior tertii paris* (nervorum cerebri) *ramus paulò anteriùs originem nanciscitur*

cisci-

cisċitur. *At ex cerebri pariter lateribus, perq; septimum & octavum cuneiformis ossis foramen emergit, ramum illicò diffundens, qui instar capreolorum vitis aut cucurbitæ in orbes convolvitur, durior sensim evadens; donec duabus quinti paris propaginibus conjungatur; quibus commistus in temporalem musculum & molitorem, cæterosq; omnes faciei musculos, & in ipsius cutem digeritur. Ubi hunc expromsit ramum, deorsum nonnihil magis fertur, surculumq; alium in dentium gingivas effundit.* Ita propter mutuum musculorum & nervorum linguæ & auditui servientium consensum, qvorum uno vitiato & alterum lædi solet, plerumq; muti etiam surdi sunt, ac ipsa Græca vox κωφὸς tàm mutum, quàm surdum notat, quod Theologi observant ad *Luc. XI.* 14. collatum cum *Marc. VII.* 32. Et sic in cæteris.

§. 6. *Cum altero* itidem consentit Homo conspiratione mutuâ. Parentum erga liberos, carnem qvippe ac sangvinem suum, indicibilis affectio est, qvam στοργὴν Græci nominant, efficaci admodùm vocabulo. Quàm vigilat, quàm laborat pro salute sobolis genitor, qvas molestias devorat! quantoperè discruciatur animo, cùm adversi qvidpiam dilectissimæ proli imminet aut incumbit, ac vel suam ipsius cervicem pro illius incolumitate porrigit. *Fili mi, Absalom, fili mi, Absalom, utinam mortuus essem pro te, Absalom, fili mi, fili mi*, querulabatur super impiâ progenie piissimus Pater David *II. Sam. XVIII.* 33. Gnarus implantatæ hujus in naturam φιλοστοργίας Salomon, Optimus Physicus, non gladio qvidem, qvem poscebat, sed judicio, quo pollebat, decidebat rem inexplicabilem. Litigantibus duabus meretriculis de vivo infante, cùm dividere velllet eum Rex in duas partes, commovebantur viscera legitimæ Matris super Filio suo, ut carere potiùs toto mallet, qvàm frui dimidio dissecto *I. Reg. III.* 16. *seqq.* Hic est tenerrimus iste affectus, qui docet Parentes persæpè ætatem resumere priorem, & cum liberis suis Ludere par impar, equitare in arundine longâ. Apud Sozomenum exstat narratio de Mercatore quodam, qui ferali sententiâ in duos filios suos latâ, suum ipsius jugulum pro iis intercidendum obtulit. Moti commiseratione arbitri, alterutrius servandi copiam faciunt, utrumcunq; mallet. Infelice Patre nunc hunc, nunc illum miserabiliter intuente, & utrum alteri anteferret diutiùs cunctante, ambo trucidantur ab impatiente morâ & impotente sui milite.

Cùm Gandavi Pater & Filius morti adjudicati essent ob scelera aliqva, Comes Flandriæ periculum facturus, in utro esset ardentior στοργὴ, dicitur concessisse alterutri vitam, qvi alteri caput præcideret. Tandẽ Pater multis argumẽtis persuasit Filio, ut carnificis officio in genitorẽ fungeretur, Camerarius *Cent.1. Horar. subcis. c.91.* Adeò amor non ad scendit, sed descendit. Nõ secùs ac humor de radicibus in herbã transmittitur, de herba autẽ in radices revertitur.

§. 7. Quantumvis autem non impensus adeò ac intensus amor liberorum in Parentes sit, non tamen nullus est, sed memorandus valdè. Æneas Anchisen ex incendio Trojano humeris suis sustulit, oblitus Creusæ suæ. Coriolanus nec à Legatis, nec à Sacerdotibus ingratæ Romæ reconciliari poterat: at Veturiæ matris precibus Patriam donabat, quamvis meritò sibi invisam. Matri Romanæ nobili in carcerem compactæ cùm prohiberetur escas afferre filia, insigni pietatis Exemplo uberibus suis per clathros lactavit eam. Et quæ sunt hujus monetæ alia. Quod si secus quid interdum accidit, id accidit. Non per se, nec ex intentione Dei ac Naturæ, sed ex accidẽte fit, quidquid à liberis Parentibus malè fit. Excussunt totam naturam humanã, qui Parentũ fata properare intendunt. Hinc divina Nemesis non deserit antecedentem scelestum claudo pede, & leges ipsæ advertunt graviter. Solon interrogatus, cur nullas pœnas adversus eos, qui Patres verberâssent, constituisset: respondit, quoniam nullos tales extituros existimabam. Portentum atque monstrum certissimum Cicero pronunciat, esse aliquem humanâ specie & figurâ, qvi tantum immanitate bestias vicerit, ut propter quos hanc suavissimã lucem adspexerit, eos indignissimè luce privet: & nullum supplicium satis acre reperiri posse in eum, qui mortem obtulerit Parenti, pro quo mori ipsum, res si postularet, jura divina atq; humana postulant, *Pro Rosc. Amer.* Olim insutus culeo parricida cum cane & gallo gallinaceo, & viperâ, & simiâ, vel in vicinum mare, vel amnem projiciebatur, ut omnium elementorum usu vivus carere inciperet, & ei cœlum superstiti & terra mortuo auferretur, *Instit. De publicis Judiciis §. ult.* Hinc Cardanus *lib. Subtilit.* *Ut simia homo non est, attamen videtur, sic qui proprium occide-* [illegible]

runt

runt Patrem. Serpens insidiis arcete, inimicissimusq; humano generi, non secùs ac parricida. Canes omnes odisse videntur, solumq; hoc animal nulli penitùs parcit, neq; proprio generi. Et Juvenalis *Sat. VIII.* 213. de Nerone loquens:

Cujus in exitium non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

§. 8. Pariter amore ducuntur amantes occulto ac cæco interdum erga suas Veneres. Commovetur sanguis ipsis & omnia viscera vel ad intuitum nudum aut recordationem earum: est mollis flamma medullas: dies noctesq; omnes insomnes transigunt, & vel per saxa, perignes, per undas, voluptates suas quæritant, ipsi animæ suæ prodigi. Adeò amare in Grammaticis Activum Verbum est, in Physicis Passivum: & amari in grammaticis Passivum est, in Phisicis Activum. Quin imò Juvenalis cujusdam meminit *Sat. IV.* 114.

Qui nunquam visa flagrabat amore puellæ,
Grande & conspicuum nostro quoq; tempore monstrum.

Rationem quærenti dat Propertius *lib. 2. Eleg. ad Demoph.*

Quid quæris? Quare non habet ullus amor.

Quanquam semper tamen aliquid causæ subest, sive pateat ea, sive lateat. Sæpè ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν, & oculi sunt in amore duces. Sæpè & ex famâ incendimur cupidine rei delectabilis. Quid de eo dicã, quãdo amici, præsertim quorũ incœpta à parvis cũ ætate accrevit simul familiaritas, sacro quodã vinculo ligati vidẽtur invicẽ, nec nisi per fatũ ultimũ solvendo. Dimidiũ animæ suæ alter est alterius, & tanquã alter idẽ: & verè ibi anima est, nõ ubi animat, sed ubi amat. Exempla prostant Davidis & Jonathanis, Damonis & Pythiæ, Pyladis & Orestis, Thesei & Pirithoi, Nisi & Euryali, Pollucis & Castoris, Æneæ & Achatis. Augustinus dicit *l. 4. Confess. Ego sensi animam meam & animam amici mei unam fuisse animam in duobus corporibus, propter vim scilicet amoris. Et ideò illo mortuo horrori mihi erat vita, quia nolebam vivere diutiùs: sed ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur.* Quæ omnia egregia Consensûs istius mutui documenta suppeditant. Pertinet huc illud etiam, quod oscitante uno oscitat & alter, quod nauseante uno nau-

seam

ſcā & alter concipit, quod uno comedente ac bibente etiā ſaliva movetur alteri, & ſi quæ his gemina. Hinc Scaliger *Exerc. CCCII. 2. Quæ eſt cauſa, ut plerique aliud agentes canentibus occinant: ſi quis ſummiſsè loquatur, cū illo nos. Si quis clamet, clamādi libido inceſſat majorē hominū partē, quæ pudore aut rationis vi non cōtinetur. Ideoq́; in cōcione ac prælio ſi unq clamorē tollat, illicò fecerit idē tota concio aut acies.*

§. 9. Novæ hic Sympathiæ genus recordamur, quod à quibusdam Magiæ Profeſſoribus venditatur. Dicunt, ſi amici peregrè abire conſtituerint, & communicare tamen invicem de ſtatu rerum ſuarum ſecundo ſive adverſo aveant, carnem utriusq; incidi oportere, & ſanguinem commiſceri. Hinc enim ſanguinis non tantùm, ſed & animorum ac totius naturæ admirandam communionem fieri, ut quamprimùm alteruter ſcalpello pungat brachiūm ſuum, tàm primùm alter advertat, & prout antea mutuò rem omnem corā tranſegerant, ita nunc abſentes ſtatim mentem amici intelligant. Verùm hæc naturaliter procedere poſſe dubitamus admodùm. Primùm difficulter videtur commiſceri poſſe utrorumq; ſanguis, ne, recente vulnere, unà cum altero & ipſe effluat. Et demùs, miſturā hanc operâ ingenioſæ celerisq; artis peragi poſſe, quomodo non totus ſuppurabit ſangvis ille forinſecùs allatus, cùm & aliàs ſanguinē extra vaſa ſua putreſcere conſtanter aſſeverent Medicorum Filij. Et maneat ibi tanquam in alieno fundo peregrinus hoſpes, poteritnè deinde per tot milliarium intervalla ſanguinem alterius contingere, ſive corporaliter, ſive virtualiter? Credat Manranus Apella, non ego. Potiùs hauſtū excipiat alter ſanguinem alterius, abominando & barbaro potûs genere, & largiat aliquid libentiùs. Veluti Carmanis peculiare fuiſſe dicitur, ut in conviviis percuſſâ faciei venâ, profluentem inde cruorem vino commiſcuerint atq; propinaverint, amicitiæ finem ſtatuentes, ſanguinem guſtâſſe mutuum, Jonſton. *Admir. Hom. c. 3. art. 3.* Ita Scythæ Maſſagetæq; lac concretum cum ſanguine equino bibentes ferinam naturam induunt. Ita carnifices efferantur humano ebibito ſanguine. Qui canibus mordacibus dant operam lanij, calidarum beſtiarum cruorem propinant. Venatores traduntur bibere ſanguinem caprearum

cum

cum lacte, ne afficiantur vertigine, quia capræ de altissimis locis possunt intrepidè despicere. Quidam suillo pastus sanguine luti amator evasit, ita ut se in eo instar porci crebrò volutaret, Libavius *Part.2.Singul.p* 134. Ibidem dicit: *Anno 1499. in bello Helvetico circa Constantiã neglecta cadavera à lupis sunt vorata, qui inde adeò avidi humanæ carnis evaserunt, ut in Hegojà, Algojà, aliisq; locis impetum in homines fecerint, atq; etiam in domos irruperint.* Pastor quidam filios ad latrociniorum feritatem adducturus occisi tabellarii sanguine imbutam buccellã eis præbuit, referente Langio. Quidam caprino nutritus lacte salacitatem capellæ repræsentavit, & locustas arborum corticesq; arrosit. Quomodo Uratislaviensis puella epoto felis sanguine felinam expresserit naturam, Weinrichius memorat *Comment. De Ortu monstrorum cap. 15. p.* 143. Marci Antonini Philosophi Imp. uxor gladiatorem deperibat. Consulti Chaldæi occidendum judicabant, & Faustinæ sanguinem ejus propinandum, statimq; cum marito concumbendum. Factum; & amor quidem athletæ depositus, sed infans natus Antonius Commodus, incommodissimus Imperio, ac gladiator potiùs quàm princeps. Lipsius habet *Saturnal. Sermon. l.2.c.22. Sed nec defuisse è populo scite, qui gladiatorum sanguinem ex ipso vulneris hiatu biberent, calidum adhuc spirantemq;. Contra malum, fateor, sed justâ Plinij detestatione, cùm plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas sit humana l.28.c.1.* Ut ob id singulari planè consilio vetuerit DEUS bestialis sanguinis usum in Vet. Testamento, præsertim calentis, & adhuc viventis animalis.

§. 10. Aliud ex alio occurrit. Istud inprimis hoc in loco, quod de Nobili quodam Neapolitano scriptis proditur. Ejus nempè nasum è servi brachio comparatum, ob Sympathiam qvandam singularem, ægrotante servo dolores protinùs sensisse, mortuo illo, simul computruisse ac decidisse. Vid. Exc. SPERLING. *Instit.l.1.c.3. Q.* 5. & Lauremberg. *Acerr. Cent.3. Hist.* 77. Sed liceat hic nobis ἐπέχειν, & rem totam in medio suspensoq; relinquere. Singulare hoc Exemplum, & unicum forsan est, quod Regulam non facit, nec facilè simile quidquam alibi repereris. Multa simùl fiunt, quorum nulla illatio & consecu-

tio mutua. Id interim volentes libentesque damus, curam illam non fucatam tantùm ac palliativam, sed veram ac naturalem fuisse. Quippe quam sæpè feliciter processisse Autores non ignobiles adverterunt, & ratio ipsa facilè convincit. Basso ait *De Form.lib.3.art.6.p.291. Digitum penitus excisum, si adbibito medicamine conveniente resuatur, nihil probibet coire.* Calentius quidam de Chirurgo aliquo in Siciliâ ad Orpianum scripsit; *Orpiane, si tibi nasum restitui vis, ad me veni: profectò res est apud homines mira. Branca Siculus, ingenio vir egregio, docet nares inserere, quas de brachio reficit, vel de servis mutuatas impingit. Huc ubi vidi, decrevi ad te scribere, nihil existimans carius esse posse. Quod si veneris, scito, te domum cum grandi quantumvis naso rediturum. Vale.* Ambrosius Paræus *Operum Lib.XXII.cap.2.p.660.661.* non tantùm suppositum artificio nasû ex auro, argento, papyro aut conglutinatis linteis revinctû ad occiput aut pileum funiculis formare docet, qvin naso factitio mystacem appendicis loco adjungere, ne quid, quod ad faciei ornatum faciat, misero homini desit: sed & de chirurgo quodam in Italiâ mira refert. Qui resectæ portionis nasi callosa labra circumcidebat, quomodo in implendis rostris leporinis fieri solet: inde lacunam novaculâ tàm magnam in bicipite brachij musculo excavabat, quantum amputatæ nasi portionis amplitudo exigere videbatur. In eam mox nasum, quâ parte mutilus erat, demergebat, capite ad brachium tanquam ad palum revincto, ut immotum & stabile nullam in partem flecti posset. Quadragesimo inde die tantum carnis brachij pro deperditâ nasi portione circumcidebat, quantum ipse reparandæ satis esse putabat, qvod complanabat, & ad reliqui nasi æqualitatem reducebat, ægrum interea sustentans panatellâ, carnibusq; deglutitu, coctu & distributu facillimis, & balsamis ac liquoribus agglutinantibus sysarcoseos opus perficiebat. Perrexit ad eum quidam familiæ à S. Thoano nasi argentei & probrosi, quem multos annos jam circum ferebat, pertæsus, & nasum ei reparavit dicto modo, magnâ omnium, qui antè ipsum noverant, admiratione. *Possibile id quidem opus est* (subjicit ibi Paræus) *sed arduæ omninò plenum difficultatis, tùm patienti agro, tùm agenti Chirurgo, vel hoc nomine,*

quod

quod carnis, quæ è brachio reponitur, temperies longè differt à carnis nasi temperie, & quod restituti nasi foramina, qualia antè erant, excavari nequeunt. Quomodo Alex. Benedictus & Vesalius hoc artificium abscissos nasos reparandi tradant, Schenckius adducit *Lib. 1. Obs. 371.* Scilicet spirituum adhuc plena est abscissa caro, cùm maturè applicatur alteri, & conveniente deligatione corpori conjungitur. Ipsa quoq; anima pristina spiritualiter se movet ac insinuat in hanc novam materiam, eiq; vitam sensumq; communicat: non secùs ac eadem anima in alimentum recens assumtum transiens immittit se, idque in succum & sanguinem convertit.

§. 11. Operæ autem precium haut adspernandum facturos remur nos, quando id videtur huic loco proprium, si, quid super Hoplocrismate, quod Crollius unguentum Sympatheticum seu stellatum Paracelsi nominat, judicare habeamus, explicemus pauculis. Docent enim beneficio Unguenti hujus armarii etiam per aliquot milliaria absentis vulneri medelam fieri, modò non nervi & arteriæ, aut unum è tribus principalioribus membris læsum sit, (id quod Goclenius & Crollius excipiunt,) nō applicato remedio ipsi vulneri, sed armis, quibus inflictum est, quæ propterea jubent servari in mundo linteolo & loco tepido ab omni vento ac frigidiore aëre remoto. Mori quoq; ægrotum prædicunt, si telum supra carbones calefactum, pulvere è santalo rubro & hæmatite adsperso, sudet guttas sanguinis aut maculas, sin minùs, evadere. D. Tentzelius dicit *Medicina Diastatica cap. 5. Unguentum Sympatheticum extemporaneum multis magnâ cum utilitate, inprimis quod scio, militari vita deditis (nullibi enim non paratissimum habetur) innotuit, quo instrumentum duntaxat, quo vulnus inflictum est, debitè inunctum miram ejusdem, nec non ulcerum etiam mitigationem & sanationem præstat.* Et *cap. 1.* ad spiritum Megacosmicum omnia penetrantem & reserantem causam refert. Joh. Baptista Porta scribit *lib. 8. Mag. Nat. c. 12. Nec omittemus unguentum armarium, Græcis ὁπλόχρισμα dictum, olim à Paracelso Maximiliano Cæsari datum, & ab eo expertum, maximè verum ab eo habitum, quamdiu vixit, cujus aula nobilis mihi communicavit. Si adlatum fuerit ferrum,*

 quod

quod sauciavit, aut lignum ejusdem sanguine madefacturа, sanabitur æger, etiamsi longè abierit. Cape usneæ, sive musci contriti in calvariâ aeri derelictâ uncias binas, adipis humani totidẽ, mumiæ, sanguinis humani semiunciam, olei lini, terebinthinæ, boli armeni unciam: omnia simul mortario terantur, in urnâ oblongâ & angustâ serventur. Immerge ferrum in unguentum, & ita relinquatur: æger manè sui ipsius urinâ eluat vulnus nulloq; addito deligetur, & sine dolore aliquo sanabitur.

§. 12. Verumenimverò aut â se habebit telum illam curandi vim, aut aliunde. Si â se, aut aget qvatenùs telum est: at sic lædit potiùs continuitatem partium divellendo, quàm sanat uniendo: & ita omne telum vulnus restitueret: nam A quatenus ad de omni valet consequentia: imò vim illam obtineret, etsi nullo unguento intingatur. Aut aget, quatenus hujus vulneris telum èst, quatenus obligatur, ab aëre removetur, â rubigine prohibetur, adipi, terræ, pani infigitur: at hæc omnia nudæ relationes, nuda accidentia sunt, quibus ex se & per se nulla peculiaris actio competit. Si aliunde ac præprimis ab unguento ipso, cur non vulneris potius ipsius cura habetur, quàm teli? & si propter unguentum demum telum decumbentem sanitati restituit, directiùs ac tutiùs unguentum ipsum præstabit hoc. Deinceps cùm sine contactu nulla actio, nulla passio in naturâ fiat, tradente Aristotele *1. de gen. & corr. cap. 6. t. 44.* quærimus, ecquis hic contactus detur inter vulnerans & vulneratum? Corporalem afferre contra sensum est: cùm non ipsi vulneri, sed armis telisque quibus vulnus inflictum est, vel ligno in vulnere cruento madefacto applicetur, ipsique vulneratum absentem ponant ad ipsa decem aut duodecim milliaria, quod Wittichius facit. Virtualem adducere contrà rationem est. Fit ille vel per Effluvia, vel per Species. Effluvia cùm nullum regularem motum habeant, sed ad motum aëris inordinatè hinc inde ferantur, & â flatu quocunque facile dispergantur, uti candelæ extinctæ fumus nos docet; quomodo rectâ ad vulneratum tendent, nec potiùs fauciato versus orientem degente, illa versus occidentem rapientur. Si in speciebus ulla fugæ spes, ulla salutis, probent primùm eas ex unguento egredi. Et demus

egre-

egredi, continebunt tamen se intra definitos limites ac certam distantiam. Omne corpus naturale determinatam sphæram activitatis suæ habet, ut loquuntur Philosophi. Maxima ea & amplissima est in rebus lucidis: hinc stellæ longissimè ac latissimè lumen spargunt: magna etiam in rebus sonoris est: hinc campanarum ac bombardarum sonitûs per egregium tractum audire licet: in cæteris ita, uti cujusque natura admittit: hinc Magnes ferrum attrahit, etiam distans. Ubi tamen semper etiam subjectum idoneum requiritur, quod transitum præbeat speciebus illis absque remorâ. Hinc opaco corpore interposito impeditur illuminatio: auribus clausis ac obturatis nihil auditur: Magnes per laminam ferream ferrum non trahit, per alias res objectas non tam promtè. *Quis* autem *credat*, (ait D. Sennertus *l. V. Pract. Medic. part. IV. cap. 10.*) *è pauxillo unguento & sanguinis tantillo, corpuscula tot vel species, per cistam, in quam telum inunctum conclusum est, perrumpere, per longum intervallum, etiam duodecim milliarium deferri, montes & muros penetrare, & ad cubiculo inclusum vulneratum rectà tendere, & multiplices, quibus vulnus involutum est, fascias pervadere, ac vulneri sese insinuare*: Et pòst: *si totus sanguis ille in atomos resolveretur, non sufficeret ad spacium tale implendum.*

§ 13. Dicunt Patroni ungventi hujus: Experientiam allegari posse multiplicem: scribitque Rodolphus Goclenius Junior, *se posse nominare Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, quorum autoritas atque fides in dubium non sit vocanda, qui de efficaciâ hujus ungventi testimonium perhibeant.* Dicimus nos: etiam nobis in contrarium Experientia allegari potest, quæ non semper respondisse voto effectum hunc emissis, quod dicitur, buccis clamitat, uti adducit Guilielm. Fabricius *Cent. 3. observat. 25.* Et demus factum: quæritur an propter hanc causam sit factum? Certè multa sæpè cum effectu aliquo connexa sunt, quæ causæ ejus non sunt. Non omnia antecedentia causæ, neq; omnia consequentia effectûs sunt. Egresso me domo meâ cadit tegula de tecto, cujus casûs causa ego non sum: regresso me tonat ac fulgurat, cujus tonitrus ac fulguris ego effectus non sum: & tamen illud præcedebat, hoc sequebatur. Sit sanatus vulneratus ille: sit etiam adhibi-

tũ unguentũ: ergonè ſtatim hoc cauſa ſanationis eſt, quæ neceſſariò effectum hunc produxerit? Quare nõ tutiùs ad Naturã ipſam rectà tendimus, de quâ Hippocrates *6. epid. comm. 5. t. 1. νούσων φύσιες ἰατροί*. Sæpè humanum corpus innatam quandam potentiam habet, quâ ſpontè plerumq; ſine medicamento ad ſanitatem revertitur. Medicamenta unum id agunt, ut calorem nativum & tẽperiem partis naturalem conſervent, ac obſtacula ex ſuppuratione aut aliis ſymptomatib orta removeant: Natura ſola vulnera non levia tantùm, ſed & graviſſima glutinat, & carnem cutemq; novam ſubſtituit. Libavius habet, *De Unguento armario p. 52. Recitavit nobis Reverendus & Clariſſimus Dn. D. Mylius, hiſtoriam cujusdam pueri, qui patre ſcriniario alibi occupato ad opus acceſſit, volens neſcio quid peracuto cultro levigare: ſed declinans ille à materiâ, minimum digitum trajecit tranſverſum, atque ita magnam partem abſcidit penitùs. Ille exterritus animo ita ſanguinem cohibuit, donec abſciſſam partem correptam ſubitò apponeret mutilatæ, & circumcirca glutine (cujus lebes paulò antè à patre uſurpatus adhuc calens cum materiâ adſtabat) oblineret obligaretq́. Factum ita eſt, ut partes divulſæ ſpacio 21. dierum compingerentur, cujus veſtigium poſtea per omnem vitam manſit, nempè circulus totum digitũ ambiens. Hic nullâ teli obligatione eſt uſus. Nobis hoc accidit. Incideramus aliquando in pernam ſuillam apud amicum quendam. Hanc diviſuri non contemnendo vulnere conſecuimus pollicem ſiniſtræ manûs, carnemq́ cum cute & vaſis ab oſſe ſeparavimus, usq́ ad articulum: ſecuta eſt magna hæmorrhagia, utpote ſectâ venâ. Nos adſperſo Zacch[Saccharo] vulnus obligavimus citra ferri inunctionẽ, atq́ ita unâ perpetuâ ligaturâ integritati reſtituimus.* Dicebat ipſe Porta ſuprà, *ægro manè ſui ipſius urinâ vulnus eluendum eſſe*: & Paracelſus *Archidox. Magicæ l. 1.* jubet *vulnus ſingulis diebus faſciâ novâ urinâ vulnerati madefactâ obtegere.* Quando verò ſic munda ſervatur affe-

affecta pars & vulnus à pure expurgatur, hoc jam totum fermè curæ est: nam quod restat, anima peragit. Inde canes solo linctu ulcera ac vulnera sua persanant. Et quid si Diabolus ipse interdū Comœdiæ hujus Roscius sit, præsertim cùm aliquid naturæ vires superat, cùmq; ceremonias certas adhibent, & nunc gladiū in cuspide versus capulum, si vulnus sit punctim factum, nunc ab acie versus tergum illinunt, si cæsim, nunc totum inungunt, nunc ex parte. Transfigurare se potest Sathan in Angelum lucis, nec atram suam faciem semper ostentat nobis, sed & candidus apparet. Præstat centies mori, quàm à dæmone curari. Sanat corpus, ut vulneret animam. Ubi pactum non adest explicitum, subest implicitum.

§. 14. Dicunt porrò: Spiritum mundi principes hic partes agere, qui per totum mundum diffusus, sit vector & vehiculum occultarum potentiarum & actionum, quiq; omnes mundi partes connectat, & mirum inter eas consensum excitet. Dicimus nos: non dari illam Mundi animam. Et si daretur, omnes rerum naturalium Essentiæ subverterentur. Videatur contra Cardanum pro Scaligero DN. SPERLINO. *Disput. ad Scaligeri Exerc. VI. sect. 1.* Dicunt: spiritûs unà cum sangvine egredi, telo seu ferro adhærescere, indeq; adhibitis adhibendis repelli & ad Corpus suum redire ac illud redintegrare. Dicimus nos cum Celeb. SPERL. *Inst. l. 2. c. 3. ax. 1. Tot fermè sūt petitiones principii, quot verba. Facilè qui credit, facilè decipitur.* Sanguis iste è corpore fusus cruor fit, statimq; emoritur, nec spiritûs ullos in se retinet. *Et* (verba sunt Libavii *Tractatu dicto p. 65.*) *quis nescit copiosioris sanguinis esse virtutem majorem? at quantum effluxit temerè & putredine fuit absumtum? quantum torrefactum in linteis est? quantum elutum? quantum unà cum sordibus exetersum? quantum spirituum exhaustum? hæc omnia an nullas obtinent vires? an nihil cognati habent cum vulnere, ut ita eadem passio ad vulnus perveniat.* Dicunt: Siderum influxum etiam plurimùm valere hic, proindeq; etiam certo anni tempore ac siderum positu hoc ungventum parandum & conficiendum esse.

esse. Dicimus nos: Stellarum influxum in hæc inferiora non negamus: quod autem ipsis aut cœlo vis aliqua sanandi vulnera insit, & quæ huic unguento ita se immisceat, ut quasi vincta & conclusa circumferri, & quando libet, in usum trahi possit, evictũ nondum vidimus. Concludimus proinde cum Keckermanno *Cursus Philosophici disp. 2. Coroll. Phys. 4. Cùm sanatio vulneris includat alterationem, alteratio autem requirat alterantis & alterati contactum atq; applicationem convenientem, sequitur sanè plenam superstitionis esse ὁπλιατρείαν, id est, curam & inunctionem armorum aut linteorum ad sananda absentium vulnera, quam vocant artem Sancti Anshelmi, cùm sit magicum commentum Anshelmi Necromantici cujusdam Parmensis.* Videatur idem *l. 1. Syst. Phys. c. 8 p. 75 76.* & Dn. D. Martini *Cent. 5. Disp. 10. Q. 6.* Hactenus Consensus: restat Dissensus.

DISP. X. & Ultima

Resp. JOHANNES MATTHÆUS STUMPFIUS, Byrutho-Francus.

§. I.

NOn patentem tantùm & apertam habemus Naturam, sed & latentem ac opertam ubiq; ne. Tàm admirando consilio temperavit eâ autor princepsque Deus, ut exerceret nos in difficilibus, ac delectaret in manifestis, ut in facilioribus quidem fami occurreret, in obscurioribus autem fastidium detergeret. Patet id inprimis ex Formarum cognitione, carâ quidem, sed rarâ. Patet id ex Qualitatum inde profectarum investigatione satis arduâ, quarum stupendas vires, sæpè nec nomina, dignè satis assequi vix ac ne vix quidem nobis licet. Patet idem ex Antipathiâ Hominis, quæ ex Qualitatum illarum dissimilitudine originem primam trahit, & eludere haut rarò videtur omnem humani ingenii aciem.

O miseras hominum mentes, ô pectora cæca,
Qualibus in tenebris vita, quantisq; periclis
Degitur hoc ævi quodcunq; est, exclamat Lucretius *l. 2. v. 14.*

v. 14. Adeò non in tenebris, sed tenebræ sumus, etiam in naturalibus, & maxima pars eorum, quæ scimus, est minima eorum, quæ nescimus. *Quotusquisq; nostrûm* (modestè scribit Scaliger *Exerc. CCCLXV. 9.* *ignorat inscitiam suam? quam tum demum cum verâ sapientiâ commutabit, ubi non invitus at verè lubens fatebitur se nihil scire.* Et in specie de hâc nostrâ materiâ profitetur *Exerc. CCLXXIV. Quod elementum, qui calor ingenerabit in quibusdam casei abominationem? alii vinum aversantur. Plurimis acetum compescit vomitum: mulieri è Burgundiâ incitari vidimus. Quibus afferrent mala fastidium, plures novimus. Harum rerum causas neq; ego scio: neq; scire labores tu. Sapientia est vera, nolle nimis sapere.* Non despondendus tamen animus omninò est, nec hasta abjicienda protinus, sed contrà audentiùs eundum. Δύσκολα τὰ καλά. Nec nisi per multas salebras, & dumis vepribusq; obsitas vias sublimis scientiarum collis petitur.

§. 2. DISSENSUS Hominis datur tùm cum ipso Homine, tùm cum aliis Corporum Naturalium. *Cum ipso Homine* Homo vatinianas sæpè, & cœcas interdum fovet inimicitias. Unde Martialis illud *l. I. Epigr. 32.*

Non amo te, Sabidi: nec possum dicere, quare:
Hoc tantùm possum dicere: non amo te.

Et quod ex Catullo passim citari solet, etsi vix in eo repereris:

Non amo te, Volusi: nec possum dicere, quare:
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Weinrichius scribit *Commentario de ortu monstrorum cap. 15. pag. 139. Fuit in nobili familiâ, qui ne adspectum quidem ferre potuit intuentis ipsum vetulæ, ex eoq; casu aliquando è convivio mortuus elatus est, cùm vi ad intuendam pertractus esset.* Benè Cicero 2. *Offic. Ut magnas utilitates adipiscimur, conspiratione hominum atque consensu, sic nulla tàm detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur.* Huc quadrat Plautinum istud *Asinar. II. 4. 88. Lupus est homo homini, non homo, quem qualis sit, non novit.* Ubi ingeniosissimus

ſimus Taubmannus: *Ita Seneca Ep. 103. Ab homine homini quotidianum periculum. Huic aſſidet illud Anacharſidis Scythæ; qui interrogatus, τί ἐστι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; αὐτοὶ ἔφη ἑαυτοῖς. Contrarium illi Cæciliano apud Symmachum: Homo Homini Deus eſt, ſi ſuum officium ſciat.* Quidam ita planè odêre ac horruêre cæteros homines, ut & conſpectum omnium, quantum poſſunt, fugiant, carcinomata & dehoneſtamenta ſui generis. Qualis erat Μισάνθρωπος ille,

Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Cælius Orator, mortalium iracundiſſimus, clienti ſuo in omnibus ſibi conſentienti iraſcens, exclamavit: *Dic aliquid contra me, ut duo ſimus:* Seneca *de Ira l. 3. c. 8.* Vah duricapitonem! quomodo tuliſſes injurias, qui obſequium non ferebas? Fracaſtorius ſcribit *de Symp. & Antip. c. 18. Sunt, qui neminem ferè amantꝫ nam quemadmodum inter animalia quædam ſunt, quæ reliqua ferè omnia odêre & perſequuntur, ut ſerpentum genus, ita & inter homines quidam ſunt, qui reliquos odio habent.* Eraſmus *Colloq. Amicitia,* puerum quendam ſuæ ætatis, prodigioſæ vanitatis & ex tempore monſtroſa quædam confingentem, adeò horruit, ut viperam minùs, arcano naturæ ſenſu. *Et ſic hodie* (ſubjicit ibidem) *horreo naturâ vanos, ut conſpectis illis ſentiam totum corporis habitum commoveri. Hoc ingenio cùm natus ſim, tamen hoc contrà fato natus videor, ut per omnem vitam mihi cum mendacibus & impoſtoribus fuerit res.* Internecina quandoque integrarum clariſſimarum familiarum odia fuiſſe, omnium temporum Hiſtoriæ docent. Adeò ut quarundam ſanguinem commiſceri invicem non poſſe, aut ſi commiſceatur, haut bona farcimina præſtare, Germanorum hinc feratur diverbio.

§. 3. Villamontius apud Delrium *de Diſquiſitionibus Magicis fol. 87.* meminit peſtilentiſſimi cujusdam hominis, (ſi tamen homo vocandus) qui cùm facinoroſorum aliquot & ad triremes damnatorum animas, ſingulas precio decem aureorum redemiſſet, additâ pollicitatione ſecuturæ liberationis, & ſyngra-

phâ

phâ etiam ab illis acceptâ, quam manu sanguineq; suo subscripserant, actutum animas illas ad unam omnes ipsissimo Diabolo sacrificio solenni obtulit, ac ne rescindere pactum possent, præbito veneno statim jugulavit. Nec Diabolicum illud Itali alicujus facinus ignotum adeò, quod apud Camerarium legitur. Qui cùm in aperto campo hostis sui compos factus, appositâ ad jugulum sicâ, jamjam ferrum eum recipere juberet, spem incolumitatis prostrato faciebat, si totam S.S. Trinitatem, si Christum Jesum, si Deos Deasq; omnes momento abnegaret, & cœlum ipsum omnemque animæ suæ salutem ejuraret. Facit miserrimus ille, metu anxius: at hic confestim gladio in viscera adacto obtruncat eum, gloriatus deinde de nobili scilicet ulciscẽdi genere, quo non vitam tantùm, sed & animam adversario eripuerit. Proh scelus ac piaculum hominis, non hominem! Adeò, quod Scaliger dicit *Exerc. XXXIII. 1. Hominum maxima pars quovis angue sumus pestilentiores. Nam quantò est animus corpore potior atque præstantior, tantò est illius hostis hujus hoste perniciosior.* Adeò ex vero Plinianum illud *Lib. VII. Nat. Hist. Præfat. Cætera animantia in suo genere probè degunt. Congregari videmus & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat. Serpentum morsus non petit serpentes. Nec maris quidem belluæ ac pisces nisi in diversa genera sæviunt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala.* Quidam tandem adeò moribus sunt ἀλλοπρόσαλλοι, & φιλομισοφιλίας Exempla, ut neq; gaudere consortio hominum, neque carere tamen commodè possint. Unde Martialis *L. XII. Epigr. 47.*

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Et *L. V. Epigr. 83.*

Insequeris, fugio; fugis, insequor; hæc mihi mens est;
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Ita Catullus *L. I. Epigr. Eleg. 4. & Eleg. 17.*

Odi & amo: quare id faciam, fortasse requiris?
Nescio: sed fieri sentio & excrucior.

Et *Eleg. 7.*

Ut jam nec benè velle queam tibi, si optima fias;
Nec desistere amare, omnia si facias.

§. 4. *Cum aliis corporibus* Homo dissentit etiam. Ad *Specificam Formā* referimus Dissensum Hominis & Serpentis. *Nulli amicus serpens; Cum homine bella gerit assidua, & vel solo adspectu terret fortissimum quemq;*, dicit Excell. Dn. Sperling. *Synops. L.8.c.8.ax.1.* Et Porta *l.1.Magia c.7. Homo & Serpens adeò irreconciliabili dissident simultate, ut statim viso serpente horreat & expavescat; & fœmina utero gerenti occurrens, partum abortu vitiat. Hinc natum est, quod fœminæ partûs difficultate laboranti fit suffumigatio ex anguium senectâ, fœtū expellens vel enecans. Contrà saliva hominis fugat serpentē, præsertim jejuni, & si in os penetraverit, etiam interimit serpentem*, asserente Dn. D. Frantzio, *H. A.part.4.c.1.* Scaliger quidem de Pyrenæis & Mauritanis affert, quod innoxii sint ibi angues incolis permisti, quibuscum eodem lecto ac penè eâdem utantur mensâ, cibum item familiariter capiant ex iis, quæ pro analectis cecidêre, catellorum more, *Exerc.* CLXXXIII.3. Plinius item dicit *Lib.8.cap.3. Quorundam hominum tota corpora prosunt, ut ex his familiis quæ sunt terrori serpentibus, tactu ipso levant percussos suctuve medico. Quorum è genere sunt Psylli & Marsiq; & qui Ophiogenes vocantur in Insulâ Cypro. Ex quâ familiâ Legatus Hexagon nomine à Consulibus Romæ in dolium serpentium conjectus experimenti causâ circummulcentibus linguis miraculum præbuit.* Ita Cleopatra cum duas uberibus viperas admovisset, interfectura se, Psylli ab Octavio Augusto jussi sunt venenum ipsi exsugere. Et fecissent: nisi malum per longas moras invaluisset. Verùm aut incantamentis interdum res agitur, & qui semel per serpentem delusit humanum genus, antiqvus Draco, idem & nunc audet ac tentat, uti in agyrtis quibusdam ac circumforaneis haud difficile conjectu: aut certè peculiaris quædam naturâ, & quæ venenis per totam suam substantiā singulariter resisteret, subjectis illis infuit, quæ propterea à communi classe excipiuntur meritò. Sic Exempla dantur eorum, quibus venenatorum esus ac usus innoxius fuit, accedente præ-

te præsertim ad Naturæ bonitatem, consvetudine frequentatâ, alterâ Naturâ. Bartholinus scribit *Physica special. Part. 3. l. 2. c. 12. Venena alimenta fiunt longâ consvetudine: nam cùm primâ vice natura pauxillum veneni superavit, & in nutrimentum convertit, secundâ vice cum minori difficultate idem præstat, assimilatur enim & in sangvinem mutatur, unde fit nutritio. Avicenna, Ruffus & Gentilis meminerunt puellæ cujusdam, quæ à primis annis veneno solo educata halitum pestiferum, & proximè adstantibus deleterium inspiraret. Porus Indorum Rex serpentibus & venenis quotidiè vescebatur, & vel tactu, halitu ac screatu homines interimebat. Avicenna visus quidam l. 8. de animalibus c. 2 qui cammorsus ab animalibus venenatis ea occidebat, ita ut statim animalia venenata, cùm ipsum morderent, extingverentur. Nota est Historia puellæ veneno nutrita, quâ Reges Persarum alios interimebant, & exemplum puellæ Alexandro M. ab Indorum Reginâ dono missæ, quæ ab infantiâ alebatur serpentino veneno instar consveti cibi. Alexander autem Aristotelis admonitu ab eâ abstinuit. Galenus refert, anum quandam Atheniensem innoxiè magnam sæpè cicutæ quantitatem esitâsse.*

Profecit poto Mithridates sæpè veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Vid. Keckerman. *Curs. Philos. disp. XII. Probl. 5.* & Jonston. *Admir. Hom. cap. 2. art. 1.*

§. 5. Quod de Basilisco per vulgi manus traditur, eum solo sibilo, halitu & adspectu hominem necare, diu est, quod ab optimis Autoribus castigatum fuit. *Quis potuit Basilisci naturam describere, si nemo impunè eundem spectare debuit?* quærit B. Frantzius *part. 4. Hist. Anim. c. 5.* Et Bodinus itidem *Theatro Nat. l. 3. p. 306. Cui visus est unquam, si adspectu solo necat?* Nec absimile judicium de Hominis & Lupi antipathiâ ferimus, quâ raucedinem inducere dicitur hominibus, quos prior viderit. Hinc Mœris Virgilianus Eclogâ IX. 51.

— — Sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere Soles.
Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrin
Jam fugit ipsa: lupi Mœrin vidêre priores.

Porta ait *l. 1. Mag. cap. 7. Homini sic lupus visus est noxius, ut quem prius contemplatus fuerit, vocem adimat, & anticipatę obtutu nocentis, licet clamare desideret, vocis ministerio careat. Si se pravisum senserit, conticescit, & ferocitate torpescente gravem virium jacturam facit. Unde natum Proverbium: Lupus est in fabula, à Platone in Politicis traditum.* Et Cardanus *lib. 18. Subtilitat. Obmutescit homo, ut creditur, si eum prior lupus viderit: unde Virgilianum illud; Lupi Mœrin videre priores. Neq; hoc ob terrorem, nam nec leone aut urso visis hoc contingit: nec par erat, ut lupo hominem vidente prius, sed homine lupum, hoc contingeret. Cæterum hoc quandoq; verum fuisse experti sumus: non omninò obmutescunt, sed rauci evadunt. Cum verò non semper contingeret, dixêre hoc in causâ esse, cùm non contingit, quòd homo lupum prius viderit. Causa igitur est in oculis lupi. Habet enim quid homini adversum, quo spiritûs cohibentur, nec potest fieri violenta illa spiritûs exsufflatio, quæ ad vocem necessaria est.* At gerræ Siculæ sunt. Rectè Camerarius *Horar. Subcis. cent. 1. c. 23. Fabulosum est, quod vulgò creditur hominem à lupo pravisum subitò consternari, & vocem amittere, atq; vice versâ si homo prius lupum conspexerit, eum elingvem fieri. Nam quemadmodum fieri posset, ut ex propinquo lupus obviùs ex halitûs qui ab eo promanat contagione vocem adimat, aut raucedinem afflet, idq; meticulosis facillimè contingat: ita inanem persuasionem esse, hoc ipsum passim & semper fieri, (pace Aristotelis, Plinii & Solini tantorum virorum hoc dixerim) sæpius expertus sum; vel iter faciens, vel ruri obambulans, conspectis ex impro-*

improviso lupus, qui me, vel qui mecum erant, absq; dubio longè priùs conspexerant. Bellè quoque Scaliger *Exercitat. CCCXLIV. 1. Cur visis lupis homines obmutescant? Quia in illius oculis vis. Qui si ejus oculos non vidi? Num ejus oculi dorsum penetrant, & occiput ad linguam? Utinam tot ferulis castigarentur mendaciorum assertores isti, quot à lupis visi sumus nos, sine jactura vocis. Nam ter in venationibus scio me à lupo conspectum: semel ab uno inter virgulta latitante: iterum ex montis supercilio: tertiò cum puellum rapuisset. Ex cannabina segete jam admodum adultâ caput identidem promoverat ad speculam. Tùm quidam ex æqualibus puelli dixit: ô ingentem canem. Ego ab illo cum sociis visi sumus, ille à nostrûm nemine. Tantum abest ut obmutuerimus, ut magnis clamoribus primò perterritum compulerimus ad fugam: mox insecuti prædam, licet sine vitâ, abstulerimus.*

§. 6. Sed ad *Accidentarias* cumprimis *Formas* plurimæ Antipathiæ Hominis cum aliis corporibus pertinent. Ubi nimirum certa quædam individua naturaliter abhorrent ac abstinent à certis quibusdam rebus naturalibus, quibus alii familiariter utuntur ac fruuntur. Inest enim tùm in humano corpore corpusculum aliquod, sive generatione propagatum, sive forinsecùs illatum, sine lege tamen, sine necessitate, cujus forma Physica cũ alterius rei formâ Qualitate dissidet, & sic occultum gerit dissidium, ac nauseam inimicitiamque inde excitat. *Vinum* (verba sunt Dn. Sperling. *Disput. de Qualitatibus Occultis Anno 1639. Thes. IX.) lætificat cor hominis, fovet calidum innatum, viscera calefacit, coctionem juvat, obstructiones tollit, urinam movet, somnum conciliat, flatûs dissipat, crassos humores extenuat, spiritûs resarcit, ipsumq; ingenium acuit. Nihil est in vino, Renodæus ait Lib. 1. de mat. med. c. 2. quod non sit eximium, odor, sapor, spiritus, ex quibus non solùm homo recreatur, alitur, fovetur, sed etiam ex illo mortuo & in acetum mutato,*

mo

nec non ex illius fecibus, quas Chymiatri tartari nomine designant, & medicamenta & alimenta multa mutuatur. Et tamen abstemii dantur plurimi, sive ad tempus, sive per totam vitam. Illi itaque subjectum aliquod secum abditum tenent, quod vino adversatur naturaliter, unde & ipsi eo abstinent tamdiu, quamdiu illud secum gestant. Ubi abit, etiam affectus ille cessat, & qui abstemii primum, postea helluones & amphoræ vini facti. Non secus ac ibi, cùm Ovidius XV. *Metamorph.* aquarũ quarundam mirabilium meminit his versibus:

Clitorio quicunq; sitim de fonte levârit,
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius undis.
Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunque parùm moderato gutture traxit,
Haut aliter titubat, quàm si mera vina bibisset:

etiam ad atomos diversas & sibi contrarias causa non præter rẽ reducitur à Celeb. Dn. Sperl. *Instit. l. 4. c. 3. q. 2.* quarum beneficio nunc Sympathiæ, nunc Antipathiæ fiant. Ita & de caseo, butyro, piscibus, pomis, ovis, pane ipso sentiendum. B. Sennertus *Hypomn. 2. c. 3. p. 68.* causas harum individualium proprietatum ita explicat: *Quod quidam caseum, alii lucios pisces, alii vinum aversantur, id ab impotentia naturali est, è peculiari ventriculi in hoc vel illo individuo dispositione proveniente, quæ cùm non semper sit perpetua, sed nonnunquam ætatis progreßu vel aliis de causis mutetur, accidit sæpè, ut qui in pueritia caseũ aversati sunt, & abstemii fuerunt, postea in virili ætate caseum comedant ac vinum bibant.* Et pòst: *Equidem quod quis cibum non appetere, vel non coquere potest, id provenire potest ab intemperie ventriculi manifesta: sed quod quis, qui omnes alios cibos sumit vel coquit, saltem caseum, vel panem, vel hunc aut illum piscem aversatur, id omninò ab occulta qualitate provenit.*

§. 7. Atque huc faciunt omnia Exempla eorum, qui ab hoc aut illo ciborum genere abstinuêre se, imò sæpè, cùm vi

aut

aut dolo id oblatum ipsis fuit, præsentissimum subiêre vitæ periculũ. Panis quàm præstantissimum ac gratissimum sit ferculum, nôrunt omnes. Omnium ciborum cùm nos capiat fastidium, hic semper sapit. Et tamen Gvilielmus Fabricius *Cent. 2. obs. 41.* de puero quodam recenset, qvinqve vel sex annos nato, & paulò antè ex gravi morbo liberato, quod quotiescunque panem viderit, imò saltem nominari intellexerit, in terram mortuus quasi prostratus fuerit. Puella in Galliâ Belgicâ, nata sedecim annos, solo lacte educata, panis odorem etiam à longinquo ferre non poterat, & si in serum, quo alebatur, vel momentum panis injectum fuisset, statim deprehendebat, Schenckius *L. VII. observat. sub finem.* Idem ibidem ex Foresto: *A pane abhorruisse Junii Crassi Filium & Zasium accipio.* Et ex Bryerio: *Normannus quidam rusticus nec panem, nec carnes, nec pisces, nec caseum unquam degustavit, sed solis ovis vescebatur, unde ei cognomentum mustela à vulgo impositum.* Caseum in delitiis habet maxima pars hominum, & fermè nullum non convivium eo clauditur. De Epicuro Combachius narrat *disp. Phys. de Cas. Epicurus, maximus, ut volunt, voluptatis assertor, cùm esset summus Philosophus, naturæq; peritissimus, nullâ in re aliâ quàm in caseo delicias quæsivit. Mitte, inquit in Epistolâ quâdam ad amicum, (ut testis est ejus rei Laërtius in vitâ Epicuri) casei Cythridij paululum, ut cum epulari preciosiùs voluero, possim.* De Westphalis facetè Lipsius *Cent. ad Famil. Epist. 28. Extremum ferculum caseus fuit: sed ita putridus, ut difflueret: hoc ipsum tamen illi habent ut cerebrum Jovis.* Plurimos tamen quotidie videmus, qui & odorem & adspectum ejus abominantur tantoperè. Scaliger dicit *Exerc. CLIII. 10. Una è nostris fœminis spectata & formæ & virtutis, Francisca nomine, quæ Matthiæ Phrygepani magno atq; insigni regulo postea peperit Christophorum, magni nominis atq; potentiæ virum: ea ante annum ætatis suæ quartum decimum nullius suasu flecti potuit, ut carnibus vesceretur. Cardinalis quidam à rosarum odore abhorrebat. In unâ civitate fuisse familiam scribunt Medici recentiores, quæ haustu castæ fistula interiret. Abstemiorum numerus magnus. Quibus caseus non admittatur in cibos, non pauci. Unus è meis liberis brassicam abominatur. Ego cressonibus duntaxat visis horrore perfundor. Hoc peculiare suum cuiq;*

quiddam

quiddam est. Postremum hoc repetit *Exerc. CCLXXIV.* *Ego qui non anea solùm, sed vem quoq; fulmina contemnebam: qui in duabus obsidionibus, in quarum alterâ etiam imperium habebam, solus omnium nullam edidi vocem, vel inedia testem, vel abhorrendi cibi exprobratricem: adcressonum ad spectum tremo adeo, ut horrore quassatus abire cogar. Ut hoc non est ab infelicissimis Elementis, quibus corpus hoc, fortuna ludibrium, conflatum est: ita ne animus ille quidem, quo catera pertuli.* Brassavolus recitat, Juliam Fraconiensem Friderici Regis Neapolitani filiam natu minorem, carnes non edisse, imò ne gustâsse, & si bolum ori ingereret, in lipothymiam & syncopen incidisse, apud Dn. D. Sennertum *L. 3. Pract. medic. part. 1. sect. 2. c. 3.* Amatus Lusitanus inquit, *Curat. 36. Cent. 2.* *Plures novimus, qui ab esu carnium in totum abhorrebant; alios, quibus caseus non solùm comestus, sed odoratus pro veneno habebatur. Sed & alium novimus natione Hispanum, qui nunquam pisces gustârat: at cum ab amico semel ad cœnam fuisset invitatus, ovaq; degustâsset, quibus siccati piscis pulvis cautè fuerat admistus, in animi angustias, cordis pressuras, cum vomitu & secessu incidit, ita ut propè exanimis defecerit.* Sic Marcellus Donatus *de Hist. med. mirab. l. 6. c. 3.* refert, quendam Stephanum Surdastrum Hispanum à piscium esu ita abhorruisse, ut si pisces aliis cibis clanculùm commisti proponerentur, in animi angustias cum vomitu alviq́ue dejectione incideret. Et Ant. Gazius apud Gesner. *Histor. Aquatil. p. 145.* ait: *Cùm de ovis barbuli piscis cocti duos tantùm bolos comedissem, experiundi gratiâ, nihil inde aliquot horis postea noxa percepi: demùm sub horâ cœna plurimam in ore ventriculi sensi inflationem, quam ut dissolverem, anisum sumsi, sed frustrà. Post horam facies mea apparuit tanquam in syncope, ita ut adstantes & admirari & de meâ salute timere inciperent. Ego interim magnam non solùm in stomacho & ventre, sed omnibus membris externis alterationem, & inaqualem quandam intemperiem in unaquaq; carnis parte sentiebam. Tùm supervenit passio colica: donec suprà infraq; simul pluries ova purgarentur, magnâ cum anxietate & virium prostratione, & maximo vita periculo.* Illustris cujusdam Comitis puero, ubi ova comederet, labia tumescebant, & facies purpureis nigrisque maculis conspergebatur, isque spumâ circumdabatur, ac si

ac si venenum degustâsset, Marcellus Donatus Libell. de Mechioacâ apud Schenckiū *L.7.Obs.f.* Cuidā cācri fluviatiles cocti statim seu odore, seu conspectu magnā animi angustiam, periculumque defectûs attulerunt, Libavius *de Cruent. Cadaveris p. 254.* Weinrichius *Comment. de ortu Monstror. c. 8.p. 65.* ait: *Novimus, qui anguillarum non modò odorem, adspectum, esum non pati posset, sed ne esset quidem in ædibus absq; insigni anxietate, ubi occultabatur vivus.* Et Paréus *Introduct. ad Chirurgiam cap. 22. Novi inter Galliæ proceres primariæ nobilitatis virum, qui appositâ anguillâ medias inter epulas atq; sodalium amicorum greges sic consternebatur, ut repentè in præcipitem virium omnium lapsum incideret.*

§. 8. Nec in cibis tantùm, sed & aliis eadem Dissensus documenta. Novimus Vratislaviæ Amplissimum virum, qui foculum mensarium mensæ impositum sine deliquio ferre nequit. Felem plurimi cæcis aversantur odiis. Matthiolus scribit *Comment. ad l. 6. Diosc. c. 25. Cùm quidam hiemis tempore in hypocaustum nobiscum cœnaturus intrâsset, quò plurium amicorum sodalitas convenerat, mulier quædam hujus viri naturæ conscia, ne is, viso felis catulo, quem etiam caverant, iratus discederet, illum in arculâ quâdam eodem in cœnaculo concluserat. Sed quamvis nec vidisset ille nec audisset catulum, cùm pauco post tempore aerem felis halitu infectum inspirâsset, irritatâ statim eâ Temperamenti Qualitate felium inimicâ, emisso sudore, pallidâ admodum facie, omnibus sanè admirantibus, tremebundus conclamare cœpit: Hic aliquò in angulo latet felis.* Vladislaus Jagello Polonorum Rex sic à malis abhorrebat, ut ne odorem quidem ferret, Cromerus *lib. 20.* Ex Rosarum odore plurimi in vitæ discrimen adacti, imò extincti. *Cardinalis quidam à rosarum odore abhorrebat*, referebat suprà Scaliger *Ex. CLIII. 10.* Idem *Exerc. CXLII.2. Affinis nostra, virgo quædam pulcerrima atq; nobilissima, solo conspectu lilij penè vecors fit, peritura, si naribus hauserit.* In nobili observavit Matronâ Renodæus, quod sine animi deliquio rosæ ferre nequiverit odorem, *Inst.l.1.cap.8.* Libavius ait part. 2. Sing. p. 136. *Est quidam notus homo ita infensus anseribus vetulis, ut clamantes cum summa indignatione audiat, lapidibus, laqueis, fustibus prosequatur, & tamen libenter edat assos, nempe ita agens cum eis, ut*

 feles

feles cum muribus & Canibales cum hostibus. Keckermannus dicit *l. 1. Syst. Phys. c. 8. Quidam porci stridorem ferre nequeunt. Quidam in deliquium animi anguntur, quando viderint putari poma aut pyrum, ut fuit quidam in Galliâ.* Marcellus Donatus inquit *Hist. mirab. med. l. 6. c. 4. Strenuum militem agnovimus, qui rutæ herbæ odorem adspectumvè nullo pacto ferre poterat, sed se in pedes dare & fugere eâ propositâ cogeretur.*

§. 9. Ex specialioribus talium Antipathiarum causis Imaginatio utplurimùm principes agit partes. Quantam vim Imaginatio Matris obtineat ad ejusmodi occultas Qualitates in natũ derivandas, nobilissimi autores dudum observârunt. Frantzius ait *Hist. Anim. part. 1. c. 18. Sunt aliqui, qui tenuem & acrem felis halitum non possunt ferre, etiamsi felis includatur, ut non veniat in ullius conspectum. Nam cùm inspirant vel attrahunt halitum quamvis subtilem, ibi confestim irritatur corporis temperamentum ab hâc qualitate felis alienum, adeò ut largissimus proveniat sudor, neq; ipsi quiescere possint, donec felis, licet non appareat, tamen è medio removeatur. Causa verò hujus accidentis seu dissidij est, quod mater gravida à felibus abhorruerit, unde in sobolem propagatum fuit qualitatis illius inimicæ odium.* Sennertus differit *Hypomn. 2. c. 3. p. 69. Quæ ab ipso ortu adsunt* (dispositiones) *quædam sunt hæreditariæ, quæ cum antea in Parentibus fuerint, cum ipsis principiis generationis in sobolem derivantur, quædam verò etsi in Parentibus non fuerint, à Matribus tamen per imaginationem fœtui imprimuntur, unde accidit, ut nati cibos aliquos aversentur, quos matres gravidæ vel aversatæ fuerunt, vel quorum compotes fieri non potuerunt. Post ortum interdum per morbos, interdum ex cibi alicujus crebriùs & copiosiùs sumti fastidio excitantur. In quâ re imaginationis plerumque primariæ vires sunt.* Erastus habet *Disc. cap. 34. Novi Principem fœminam omni virtutum genere ornatissimam Heroinam, quæ valdè ab isto animali* (fele) *terretur, quamvis cordata aliàs sit. Causam istius terroris referebat ipsa aliquando in casum Matris hunc, quem narrare hîc volo. Matrem ajebat, dum ab eâ in utero gestaretur, ab hoc animali quodam die ita fuisse exterritam, ut animo linqui cœpisset, & ab eo metu seu pavore ægrè admodum, nec nisi post multos dies recolligere se potuisset. Tametsi*

non

non expavesceret aliàs ad conspectum felium, sed ferre eos potuisset, nihilominus, cùm repentè quidam de alto loco prope ipsam decidisset, ita ut dixi perterritam fuisse dicebat. Hinc illa evenisse ratiocinabatur, quod ferre eos ipsa nunquam potuisset. Libavius *part.2. Singul. p.159.* ex Doldii literis recitat: *Quidam, quoties fraga comedisset, imprudens in cutaneum quendam affectum subitò incidit, in quo tumor, rubor, pruritusq; totius cutis, perinde ac si scabie siccâ laboraret. Primò sensit hanc affectionem, cùm dono missa fraga vino generoso & saccaro conspersa assumsisset, putans venenum sibi datum. Sed postea cùm idem pateretur ex fragis suâ manu lectis, idq; sapius, agnovit ἀδυναμίαν. Verisimile est fastidisse fraga matrem prægnantem, & inhorruisse conspectâ aliqua re absurdâ aut abominabili in ipsis.* Lutherus scribit in Genesin: *Memini me puero Isenaci formosam & pudicam matronam eniti glirem, quod eò accidit, quia ex vicinis aliquis gliri nolam suspenderat, ad cujus sonitum reliqui fugarentur, is mulieri gravidæ occurrit, quæ ignara rei subito accursu & adspectu gliris ita deterrita est, ut fætus in utero degeneraret in formam bestiolæ,* apud Weinrich. *De Monstris cap.17.* Videlicet fœtus in utero per venas & arterias umbilicales nutrimenti gratiâ sangvinem spiritûsq; attrahit. Spiritibus his communicantur species Phantasiâ matris perceptæ, & ad sangvinem spiritûsq; ipsius fœtûs deferuntur. Juxta species ergò allatas, tanquam juxta ideam aut exemplar, format anima partes suas; & admirandas embryoni imprimit imagines, præsertim circa primum adhuc formationis tempus. Videantur selectissima de Viribus Imaginationis apud Fienum, *Tractatu integro,* Sennertum *De Cons. & Diss. cap 14* Camerar. *Horar. Subcis. Cent. 1. c.54.* Portam *l.2. Magiæ c.19.* Schenckium *l.4. Obs.129.130,131.* Weinrichium *l.c.* Jonstonum *Admir. Hom. cap.7 art.1. & 2.* Libavium *part.2. Singul. p.151. seqq* Dn. Sperlingium, *Inst. l.8. c.3. Quæst.4. & de Form. Hom. cap.5. Q.3.*

§.10. Et ut aliena, sic & propria Imaginatio punctum hic non leve fert. Schenckius inquit *Lib.3. sect.1. Obs.37. Camentarium novimus, qui inter contribules suos sympoſio adhibitus, cum caput vitulinum semicrudum cruentans adhuc mensa inferretur, tantâ nauseâ & horrore correptus est, ut aliquot annorum spacio ab omni carnium esu abhorre-*

abhorreret prorsus. Libavius ait *part.2 sing p.133. Adspectu solo pillularum vel medicina purgantis quidam fuit evacuatus. Demobon Alexandri structor in sole vel balneo algebat, in umbra calebat, quod tribuunt etiam cuidam Morioni, æstate pellibus se vestienti, hieme nudanti. Democles ad abruptum locum accedere non poterat, neq; trans pontem ire; nec minima altitudinis scrobem, sed per ipsam: qualem & nos novimus, qui non poterat transire rivorum ponticulos, sed percurrebat cũ saltu. Ridicula ejus erat affectio, qui sclopum manuarium etiam vacuum nec tractare poterat ipse, nec alium tractantem videre: adeò metuebat inde periculum. Et pag. 139. Aversabatur quadam poculum illud, ex quo meminerat se medicinam hausisse; si tentaret, nausea & vomitionis mina erant in promtu; qui anatomiis humanis dediti, ita abhorrent postea à carne, ut planè nequeant in cibum assumere.* Hæc ipsa imaginatio in causâ est, ut cibi minùs esculenti insciis præbiti nil noceant, si resciscant, malè affecti sæpè de vitâ periclitentur. Dn. Sennertus dicit *L.3.part.1.Medic.Pract.sect.2.c.3. Novi quendã, qui cùm de lepore assato satis largè comedisset, ab alio postea per jocum persvasus, fuisse vulpem, mox omnem cibum vomitu rejecit.* Libavii verba sunt *part.2.p.140. Itali feles vorant. Quidam Italiam petens illatum mensæ cum voluptate, leporem assum credens, absumserat, sed cùm postea edulii oblectamentum sociis deprædicaret, cognito felem fuisse, penè viscera evomuit, & periculosè habuit, donec confirmatis cogitationibus paulatim compescuit motum. Novimus, qui cum cochleis vinearum apparatis in cruditate viscerum stomachum voluptuarii indomitumq; demulsisset, post factum verò interrogato Medico insalubre edulium cognovisset, graviter incepit habere, & recidivam pati.* Idem *de Cruent.Cadav.pag.269. Alius cùm serpentem pro angvilla ab inscio hospite oblatum comedisset, post mensem aut ampliùs certior factus etiã mortem non effugit.*

§. 11. Facere non possum, quando semel in altum hoc provecti sumus, quin adhuc stupendæ cujusdam Antipathiæ inter Patrem & Filium, mentionem injiciam. Cùm juberetur recens natum amplecti Parens, abhorruit; nec postea tulit ejus præsentiam in eodem conclavi absq; lipothymiâ. Jam duodenarius, duode-

odecim aliis similiter vestitus, non admonito Patre, cùm satis jamdiu in convivio ministrâssent reliqui, ipse quoq; tanquã qui prius etiam mensæ adstitisset, intrat. Sed nondum conspectus à Patre, ipseq; ignorans, quinam esset inter convivas, intulit ei pristinam affectionem, lipothymiâ cum angore sudoreq; invadente. Jussus discedere perpetuò divortio est separatus. Historiam recitat ex narratione fide digni Theologi Jenensis, D. Georgii Mylii, Libavius *part. 2. Dissert. IV.* & in eâ masculè se exercet. *Ex parte Patris* ratio rei vix stare poterit, nisi nauseabundus, irritabilis, teneræq; naturæ fuit. At nec sic tamen malum aliquod hæreditarium ab avis aut parentibus fuit. Nam non fastidivit omnẽ prolem, sed ejus gratiâ conjugium iniit, nec ab alio abhorruit filio, sed à suo, nec ante partum repudiavit, sed jam natum. Stabit ergò *ex parte Filii;* quippe cujus tenerior naturâ ob plures occasiones faciliùs in eam dispositionem mutari potuit, quæ Parenti singulariter est adversata. Plurima hîc potuit Matris Phantasia. Quæ vel insigni picâ affecta eo cibo delectata fuit, cujus odor saporvè, aut etiam tota Substantia Patri fuit adversa: vel nauseâ gravi à cibo correpta fuit, quem seu ipsa inscia comedit, posteaque re percognitâ perturbata inde fuit, seu alium edentem conspexit abhorruitq;, seu persuasa ut gustaret, abominata est; veluti si cattos patri horrendos esitavisset: vel denique ex consternatione & terrore alicujus rei Patri abominabilis effectum illum in tenellum fœtum traduxit; veluti si felem nõ potuit ferre Pater, infans autem felium fœtorem halitumq; ex matris passione attraxerit. Circumstantias si ubiq; in Physicis ad manus haberemus, facilior ac felicior in pluribus esset decisio. Jonstonus *Admir. Hom: cap. 5 art. 10.* etiam ad obstetricem sagam aliquantum inclinat. Nobis videtur etiam stellas ipsas non excludendas hinc omnimodis. Quippe quas in corpus humanum directè, & in animũ moresq; indirectè influere, vix quisquam neget. Itaq; ut effectûs non determinent ac specificent, connectuntur tamen semper cum causis particularibus. Non inter seipsas tantùm capitalibus exercentur odiis, sed & in hominibus easdem inimicitias ac cœcas simultates excitant: ut vix firmam amicitiam contrahere possint, quibus

sidera

sidera in genituris diverso ac contrario positu affulserint. Locum insignem adscribam ex Joanne ab Indagine *Physiognom. cap. 7. Dissentiunt sibi invicem Saturnici & Joviales, Martiales & Venerei: videas id in hominum conventibus & conciliabulis. Videtur autem nescio quid aliud intervenire, cùm reverà nihil sit aliud, quàm Planetarum repugnantia & adspectuum infelicitas. Frigidus est Saturnus & siccus, Jupiter calidus & humidus. At qui jam potest fieri, caliditas & frigiditas ut sibi non repugnent? Rursum Saturnus pigros efficit & tenaces, & tardos, solitarios, malos, intractabiles: Jupiter humanos, flebiles, dociles, benignos. Quod igitur in Planetarum qualitatibus est, id pro rerum & ingeniorum inclinatione atque influentiâ efficit in illis Planetarum qualitas. Quis horum ingenia componet? aut quis hic extricabit se?*

§. 11. Felicis episagmatis loco juvat illam adhuc Antipathiæ speciem ventilare, quâ aliqui non ignobiles autores laborare dicunt occisorem & occisum invicem, hoc ad illius conspectum ac præsentiam sangvinem emittente largiter, & vindictam quasi tacitè clamante. Ita Erasmus *Colloq. Amicitia: Narrant de ferro cæsis, ad quos si cæteri accedant, nihil accidere novi, si is qui necavit, continuò profundere sangvinem, velut ex recenti vulnere, atq; hoc judicio ferunt frequenter proditum cædis autorem.* Ita Levinus Lemnius *l. 2. de occult nat. mir c. 7. Inter præcipua, quæ nobis stuporem inferunt, illud est, quod sangvis ex vulnere interemti profluat præsente illo, qui id inflixit, ejusq; facinoris est conscius: id observatum est à magistratu & præfecto totius Belgii.* Ita Cornelius Gemma *Cosmocritica l. 1. c. 6. Videmus extincto cadavere usq; ad tertium diem interfectoris imaginem veluti in concreto sangvine latuisse, cũ eodem semel præsente residuus ille spiritus propter ideas inhærentes in percussorem obvium concitetur, nec prius proflu-*

vium

gium sanguinis è vulnere supprimatur, quam qui occiderit, longius à funere sit semotus: q ✱ l studiosè semper ad probandum facinus à prætoribus observatur. Aut. Libavius scripsit singularem Tractatum de Cruentatione Cadaveris, & itidem Sententiæ istius Patronum haut dissimulanter agit. Causam refert partim ad vim seu δύναμιν naturalem ipsius sanguinis innocenter occisi, qui commoveatur ad actum præsentis percussoris, facto utriusque contactu *pag. 211.* partim ad imaginationem ipsius occisoris, qui ita conscientiâ facti tangatur, ut spiritûs inde de præsente interfecto cogitantes facilè ad eum dirigantur, & unà vapores quosdam deducant *pag. 268.* Adeò ut hinc conficiat *pag. 222. & 388.* aliquem meticulosum & impotem animi, licet innocentem, si ex suspicione inductus, consternatus vehementer tremat ac horreat, facilè dispositionem veri percussoris posse acquirere, consentiente imaginatione super percusso præsente, cujus in omnem partem diffluentes halitûs facilè sibi insinuet, indeque commoveatur adversè. Quidam Platonem testem adsciscunt ex Dialogo Phædone, ubi dicit, animas defunctorum esse vindices hostium & circa terram errare, unde eveniant spectra; quorsum & Virgilii illa trahunt *IV. Æneid.*

— — sequar atris ignibus absens,
Et cum frigida mors animâ seduxerit artûs,
Omnibus umbra locis adero.

Alii in ipsâ Scripturâ sacrâ præsidium locant, quia *Gen. IV. 10.* sanguis de terrâ clamet & vindictam exposcat, *Apocal. VI 9. 10.* animæ interfectorum clamitent ad Deum, ut vindicet sanguinem ab interfectoribus sui.

§. 13. At verò Experientiæ istæ fallaces & rationes insuper imbelles ac imbecilles. Sæpè cadavera sanguinem stillaverunt ad præsentiam amicorum & innocentium, & contrà ad præsentiam homicidæ nihil cruentârunt. Κορυφαῖος JCtorum Dn. D. Carpzovius memorabiliter scribit *part 3. Prax. Criminal. Quæst. 122 n. 31. Hoc scimus, & ipsemet ex Actis inquisitionalibus ad Collegium nostrum transmissis compertum habeo, quosdam hoc judicio sæpè falsò esse notatos, ut & illud, quod vero homicidii reo præsente, interfectus homo ne guttulam quidem sanguinis egesserit, cum tamen Deus qui justus est, nolit nocentem manere impunitum, aut insontem damnari.* Ibid. *n. 32.* hoc judicio dicit Deum

 tenta-

tentari ex Henr. Boce*o *Tract. de quæst. & tort. c. 3. num. 22* & Petro Heigio *part 2. quæst. 39. n. 96. & n. 35.* Præjudiciũ aliquod Dn. Scabinorũ Lipsiensium in medium affert, qui noluerint huic indicio, etsi perquàm manifesto, quidquam tribuere, deficientibus adhuc aliis probabilioribus. Et ipse Libavius dicit *p. 149. Nos ipsi ex multis judicibus & aliis, qui adhiberi ad talem cognitionem solent, quæsivimus, num unquam tale quid evenisset in cadavere per vim latronum vitâ exuto. Negârunt.* Nempe naturalis causa hîc in tantum subest, in quantum sanguis, præsertim in recente cadavere, per aliquot dies & septimanas adhuc reservatur. Hinc vel levi factâ commotione ad corporis ruit habitum, ac per nares aliasque vias patentes elabitur, sive adsit, sive absit homicida: ita docente Dn. Sperl. *Instit. Phys. L. 2. c. 3. Q. 1.* Plerumq; ex fluido laxoque cadavere, ubi duobus tribusvè diebus servatur insepultum, liquor sanguine commistus profluit, cùm vespillones crebro motu & agitatione feretrum ex humeris gestent: quemadmodum & boves & tauri post lanienam laquearibus affixi solum ac pavimentum sanguinis stillicidio cruentant, teste Lemnio *l. c. Adde quod cogant quidam præfecti* (ipso dicente Libavio *p. 150.*) *eum qui reus esse creditur, digitos in vulnus inserere, & conceptis verbis jurare: quo facto ita sæpè laceratur vulnus, ut si vel gutta sanguinis insit, eam exire sit necesse.* Interdum tamen etiam Dæmonem ipsum esse Davum in hâc Comœdiâ, haut absonum. Mendax est & homicida ab initio, sititque avidissimè humanum sanguinem. Magnus Gerhardus ait *Centur. Quæstion. Politicar. Dec. 6. Q. 9. Fieri potest, ut Diabolico astu cadaver inducatur ad sanguinis profluvium, ut noceat innocenti.* Ipse Libavius narrat *pag. 150. Quidam primarius Theologus* (Georgius Mylius) *amicus summus noster sæpè mihi dixit, se ferè adduci ejusmodi Exemplis, ut credat Diabolum illudere judicibus, & hoc operam dare, ut innocentes objiciat supplicio, quod eò facilius obtinere possit, si efficiat ut semel atq; iterùm vera sit signatum, cùm postea in plurimis fallat.* Ita Paulus Zacchias Medicus Romanus, postquã ex Koruman. *de mirac mort part. 5. cap. 9* recensuisset, quendam suspensum post nonnullos annos ad accessum Matris sanguinem per longum tempus stillâsse, fabulæ hoc proximum judicat, & subjicit: *Hæc tamen nullo negocio posse à Dæmone quandocunq; libuerit, perpetrari, certum est, itaq; maximè ad hoc animadvertendum, ne decipiamur, Quæstionum Medico-Legalium Lib. IV.*

tit. 2.

tit. 1. quæst. 10 num. 33 Rationes adversæ partis quod attinet: Spiritûs in occiso per breve tempus admodû durant, statimque expirant. Nec ullum in defuncto principium movens amplius, quod eos proturbet: neque ulla amplius Anima, nec Facultas Animæ cognoscens aut appetens præstò est, quæ sentiat homicidam adstantem, aut odio in eum abripiebatur. Rectè Keckermannus *Curs. Philos. Disp. 2. Corollar. 5. Occisi cadaver si fortè ad homicidæ contactum sanguinem effundat, non potest id adscribi alterationi cuidam ac causæ Physicæ, aut forti illi antipathiæ & vehementi occisi in occisum (quem sæpè occisus nec vidit, nec novit) concepto odio, quod qualitatem latentem & arcanam impresserit corpori in cadavere permanentem, quam quidem causam reddidit Lemnius l. 2. de occ. nat. mirac. c. 7 & Langius Epist. 40.* De Imaginatione occisoris quod dicunt, ea tanta esse non potest, ut in alienum corpus jus sibi sumat, quo cum inprimis nullâ vasorum communione conjunctum est uti quidem in matre ac fœtu concedimus. Proprium Phantasiæ munus est cognoscere species à sensu communi delatas ac depurare, aliasq; novas inde proprio Marte fingere ac pingere, non autem mutare, non alterare aliena corpora, eaque extra peripheriam sui Subjecti constituta. Et quis hominum viveret, si imaginatio hostium tantoperè in alios valeret? Beati forent Melancholici, & nemo non solâ imaginatione suâ opes ac regna sibi posset acquirere. Platonis & Maronis verba somnia Ethnicorum sapiunt. Textûs Scripturæ hoc unum probant, Deum esse vindicem scelerum ac inprimis sanguinis humani innocenter profusi: modum verò specialem ultionis istius haut determinant. Tutissimâ ibic viâ, qui Dei, qui Naturæ Leges sequitur, non vanas superstitiones hominum.

§. 14. Hæc ista sunt, quæ mihi super nobilissimâ hâc atque jucundissimâ materiâ nimirum DE DISSENSU CORPORUM NATURALIUM, ex indultu planè singulari Amplissimi Philosophorum Ordinis in Florentissimâ hâc WITTENBERGA ventilationi publicæ sistere hactenùs libuit. Hîc sunto Terminalia. Nihil scriptum à nobis vanæ ostentationis, aut auræ captandæ gratiâ. Certè extremè imperitus rerum omnium sit, qui hoc tàm erudito seculo, & vicissim tàm obtrectandi cupido, proletariis istiusmodi Meditationibus scientiam suam venum exponere, aut gloriolæ nescio quid affectare imprudenterne dicam, an impudenter? tentet. Nisi aut doctis

judi-

ludibrium debere, aut malevolis pugnandi ac oppugnandi segetem subministrare velit uberem. Qui se & sua rectiùs novit, facilè intra pelliculam suam se continet, secumque moratur. DEI Gloriæ, Veritatis Amori, Proximi Usui sacer hic Labor dictusque fuit. Quem si scopum attigi, habeo summam votorum meorum, & in sinu gaudeo. Si aberravi alicubi ultrà citraq; hoc commune mortalitatis incommodum est. Optimus & gravissimus quisque confitetur, se multa ignorare, & multa quotidiè sibi etiam addiscenda esse. Et facilè spero, ex æquo bonoque opellam hanc interpretaturos universos esse, qui attenderint, præcipitata ferè hæc omnia à nobis fuisse, non elaborata, idque ferme horis secundariis, quibus à gravioribus vacare nobis aliquantisper licuit. Plura fateor interspersa, quæ ulteriorem limam poscant: plura etiam, quæ examen rigidi Catonis vix sustineant. Sed quis adeò lynceus, qui in tàm abstrusis ad abditissima quæque penitrare se possit, rudis imprimis adhuc rerum, & usu destitutus, qui non nisi seris venit ab annis. Proclivis in tàm intricato Naturæ Labyrintho error aut lapsus etiam est, & qui doctiorum monitis tanquam Ariadnæo filo caveri non difficulter aut emendari queat, in quibus etiam stare cadereque mihi decretissimum est.

Tibi verò, Æterne DEUS, Creator Ter optime, Ter maxime, quas pro tantâ tuâ gratiâ agam habeamque gratias? Quod vivo, & placeo, si placeo, tuum est. Tibi gratum acceptumq; ferimus unicè dona tua, quæ in nobis coronas. Tibi grati refundimus, quæ in nos effudisti largiter. A te omnia, ad te omnia.
Non nobis, DOMINE, non nobis, sed
nomini tuo da Gloriam!

F I N I S.